BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

SERIES NOVA

REDIGUNT CLARA PAJORIN, ANTONIUS PIRNÁT, LADISLAUS SZÖRÉNYI

GEORGIUS PURKIRCHER

# OPERA QUAE SUPERSUNT OMNIA

EDIDIT

MILOSLAUS OKÁL

AKADÉMIAI KIADÓ, BUDAPEST

GEORGIUS PURKIRCHER

# OPERA QUAE SUPERSUNT OMNIA

EDIDIT

MILOSLAUS OKÁL

(Bibliotheca Scriptorum Medii Recentisque Aevorum. Series Nova. Tomus X)

Georgius Purkircher (ca. 1530–1577) poeta clarissimus, medicus et vir botanicae disciplinae peritus fuit. Studia navabat Posonii, Bartphae, Wittenbergae et Patavii, postea ca. ab anno 1564 usque ad supremum vitae diem in urbe patria sua, Posonii artem medicam exercebat ibique habitavit. Studiis operibusque Purkircher non solum in regno Hungariae, sed etiam apud homines litteratos exteros nomen famamque adeptus est. Carmina eius saeculo XVI. typis impressa sunt, sed hodie harum editionum perpauca exemplaria supersunt. Volumen hoc nostrum omnia Purkircheri scripta, quae inveniri possunt, continet, epistulas eius — excepta una — nos primi edimus. Nostra editione effici potest, ut opera eius uno volumine collecta ad investigandam saeculi XVI. poesim Hungariae lectori in manibus sint.

AKADÉMIAI KIADÓ
BUDAPEST

GEORGIUS PURKIRCHER

# OPERA
# QUAE SUPERSUNT OMNIA

BIBLIOTHECA SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

CONDITA A LADISLAO JUHÁSZ

SERIES NOVA

TOMUS X

CONSILIUM EDITORUM

ST. BORZSÁK, T. KLANICZAY, P. KULCSÁR, G. SZÉKELY

REDIGUNT

CLARA PAJORIN, ANTONIUS PIRNÁT, LADISLAUS SZÖRÉNYI

INSTITUTUM LITTERARUM
ACADEMIAE SCIENTIARUM HUNGARICAE
SECTIO LITTERARUM RENASCENTIUM

GEORGIUS PURKIRCHER

# OPERA QUAE SUPERSUNT OMNIA

EDIDIT
MILOSLAUS OKÁL

AKADÉMIAI KIADÓ, BUDAPEST 1988

The publication of the present volume has been sponsored by the
"Research into the exploration, recording and publication of Hungarian cultural
and historical relics" programme.

ISBN 963 05 4790 2

© *Akadémiai Kiadó, Budapest 1988* · *Miloslaus Okál*

HU ISSN 0133-6711

Printed in Hungary

# CONSPECTUS RERUM

Introductio 9
De vita operibusque Georgii Purkircheri 11
De manuscriptis et editionibus 20
De manuscriptis epistularum 20
Libri impressi, e quibus carmina Purkircheri edimus 21
De orthographia 23
Abbreviationes et signa 24
Bibliographia 24

Pars I. Georgii Purkircheri Carmina 31
I. Ad lectorem — Leonart Stöckel: Historia von Susanna 33
II. Liber Sapientiae Salomonis 33
1. Inclyto Pannoniae et Boiemiae regi, Maximo Aemyliano 33
2. Argumentum libri Sapientiae 39
3. Caput I. 44
4. Caput II. 46
5. Caput III. 50
6. Caput IV. 52
7. Caput V. 53
8. Caput VI. 56
9. Caput VII. 58
10. Caput VIII. 61
11. Caput IX. 63
12. Caput X. 64
13. Caput XI. 67
14. Caput XII. 69
15. Caput XIII. 72
16. Caput XIV. 74
17. Caput XV. 77
18. Caput XVI. 79

| | | |
|---|---|---|
| | 19. Caput XVII. | 83 |
| | 20. Caput XVIII. | 85 |
| | 21. Caput XIX. | 88 |
| III. | Epigramma ad lectorem — Martinus Rakocius: Libellus de partibus reipublicae | 90 |
| IV. | Epitaphium Leonarti Stokhelii | 91 |
| V. | Anniversarium sacrum Philomelae | 92 |
| | 1. Egregio domino Christophoro Armpruster | 92 |
| | 2. Amyntas et Moeris pastores | 93 |
| VI. | Propemptikon | 113 |
| VII. | Psalmus LXXII. Da, Deus, regi iudicia tua | 114 |
| | 1. Argumentum Psalmi LXXII. | 114 |
| | 2. Psalmus LXXII. | 115 |
| VIII. | Aristaeus Pisoniensis | 119 |
| IX. | Pannonia lugens | 124 |
| | 1. Echo | 124 |
| | 2. Pannonia lugens | 124 |
| X. | Psalmus LXXIX. Deus, venerunt gentes | 130 |
| XI. | Der 79. Psalm Davids, Herr es sind Heyden in dein Erbe gefallen. | 133 |
| XII. | Epithalamium metamorphoticum ad nuptias Ioannis Sambuci | 137 |
| XIII. | Dialogus Istri et Grani | 142 |
| XIV. | In librum Thomae Iordani De peste | 145 |

Pars II. Epistulae 147

| | | |
|---|---|---|
| I. | 26. XI. 1562. Ioachimo Camerario filio | 149 |
| II. | 27. I. 1563. Ioachimo Camerario filio | 150 |
| III. | 18. II. 1563. Ioachimo Camerario filio | 152 |
| IV. | 20. II. 1563. Ioachimo Camerario filio | 154 |
| V. | 21. V. 1563. Ioachimo Camerario filio | 155 |
| VI. | 17. VIII. 1563. Ioachimo Camerario filio | 156 |
| VII. | 20. IX. 1563. Ioachimo Camerario filio | 157 |
| VIII. | 20. VII. 1564. Ioachimo Camerario filio | 157 |
| IX. | 10. IX. 1564. Caspar Peucer Georgio Purkircher | 159 |
| X. | 20. VII. 1565. Zachariae Praetorio | 160 |
| XI. | 26. X. 1566. Catharinae de Pernstein, uxori comitis Salmi | 160 |
| XII. | 18. III. 1570. Ioachimo Camerario patri | 161 |
| XIII. | 29. IX. 1571. Hugoni Blotio | 162 |
| XIV. | 22. X. 1571. Bartholomaeo Purlamuz | 162 |
| XV. | 5. II. 1575. Ioachimo Camerario filio | 163 |
| XVI. | 20. III. 1575. Ioachimo Camerario filio | 163 |
| XVII. | 11. VII. 1575. Ioachimo Camerario filio | 164 |
| XVIII. | 19. X. 1575. Hugoni Blotio | 164 |
| XIX. | 1. XII. 1575. Ioachimo Camerario filio | 165 |
| XX. | 6. VI. 1576. Philippo Sidneo | 165 |

| | | |
|---|---|---|
| XXI. | 20. VIII. 1576. Hugoni Blotio | 166 |
| XXII. | 28. VIII. 1576. Hugo Blotius Georgio Purkirchero | 167 |
| XXIII. | 3. X. 1576. Carolo Clusio | 169 |
| XXIV. | 5. X. 1576. Hugoni Blotio | 169 |
| XXV. | 11. XI. 1576. Ioachimo Camerario filio | 171 |
| XXVI. | 28. XI. 1576. Hugoni Blotio | 171 |
| XXVII. | 1. XII. 1576. Ioachimo Camerario filio | 172 |
| XXVIII. | 28. XII. 1576. Ioachimo Camerario filio | 174 |
| XXIX. | 25. I. 1577. Hugoni Blotio | 174 |
| XXX. | 15. IV. 1577. Carolo Clusio | 176 |
| XXXI. | 19. IV. 1577. Ioachimo Camerario filio | 176 |
| XXXII. | 8. IX. 1577. Ioachimo Camerario filio | 177 |

Appendix 179

1. Epigramma Henrici Baronis a Starhemberg 181
2. Ioannes Sambucus: Epigramma 181
3. Ioannes Sambucus: Ad dominum Antonium Verantium, archiepiscopum Strigoniensem 182
4. Gulielmus Berohartus: In honorem doctoratus Georgii Purkircheri carmen 182
5. Ioachimus Edelingus: De Posonio 183
6. Nicolaus Istvanffy: De horto Stephani Radetii 183
7. Carolus Clusius: Phaseolus maior varius, sive Purkircherianus 184
8. 28. XII. 1571. Martinus Rakovsky Nicolao Rakovsky 185
9. 14. III. 1575. Carolus Clusius Ioachimo Camerario filio 185
10. 1. V. 1575. Carolus Clusius Ioachimo Camerario filio 185
11. 24. VIII. 1575. Carolus Clusius Ioachimo Camerario filio 185
12. 13. IX. 1575. Carolus Clusius Ioachimo Camerario filio 185
13. 14. X. 1575. Carolus Clusius Ioachimo Camerario filio 186
14. 24. X. 1575. Carolus Clusius Ioachimo Camerario filio 186
15. 5. XII. 1575. Carolus Clusius Ioachimo Camerario filio 186
16. 31. I. 1576. Carolus Clusius Ioachimo Camerario filio 186
17. 24. VI. 1576. Carolus Clusius Ioachimo Camerario filio 187
18. 26. VI. 1576. Carolus Clusius Ioachimo Camerario filio 187
19. 9. VII. 1576. Carolus Clusius Ioachimo Camerario filio 187
20. 23. VII. 1576. Carolus Clusius Ioachimo Camerario filio 188
21. 14. VIII. 1576. Carolus Clusius Ioachimo Camerario filio 188
22. 4. IX. 1576. Carolus Clusius Ioachimo Camerario filio 188
23. 25. IX. 1576. Carolus Clusius Ioachimo Camerario filio 189
24. 1. X. 1576. Carolus Clusius Ioachimo Camerario filio 189
25. 6. X. 1576. Carolus Clusius Ioachimo Camerario filio 189
26. 8. X. 1576. Carolus Clusius Ioachimo Camerario filio 189
27. 16. X. 1576. Carolus Clusius Ioachimo Camerario filio 190
28. 9. XI. 1576. Carolus Clusius Ioachimo Camerario filio 190

29. 20. XI. 1576. Carolus Clusius Ioachimo Camerario filio 190
30. 4. XII. 1576. Carolus Clusius Ioachimo Camerario filio 191
31. 18. XII. 1576. Carolus Clusius Ioachimo Camerario filio 191
32. 1. I. 1577. Carolus Clusius Ioachimo Camerario filio 192
33. 7. I. 1577. Carolus Clusius Ioachimo Camerario filio 192
34. 7. I. 1577. Carolus Clusius Ioachimo Camerario filio 193
35. 31. I. 1577. Carolus Clusius Ioachimo Camerario filio 193
36. 12. IV. 1577. Carolus Clusius Ioachimo Camerario filio 193
37. 23. IV. 1577. Carolus Clusius Ioachimo Camerario filio 193
38. 27. V. 1577. Carolus Clusius Ioachimo Camerario filio 194
39. 8. VII. 1577. Carolus Clusius Ioachimo Camerario filio 194
40. 6. VIII. 1577. Carolus Clusius Ioachimo Camerario filio 194
41. 27. VIII. 1577. Carolus Clusius Ioachimo Camerario filio 194
42. 17. IX. 1577. Carolus Clusius Ioachimo Camerario filio 195
43. 29. X. 1577. Carolus Clusius Ioachimo Camerario filio 195
44. 10. XII. 1577. Carolus Clusius Ioachimo Camerario filio 195
45. 15. II. 1578. Carolus Clusius Ioachimo Camerario filio 195
46. 19. IV. 1578. Carolus Clusius Ioachimo Camerario filio 196
47. 13. V. 1578. Carolus Clusius Ioachimo Camerario filio 196
48. 5. VI. 1578. Emericus Forgach senatoribus Tyrnaviae 196
49. 6. X. 1600. Martinus Kesslerus Hugoni Blotio 196

Annotationes 197
Ad partem I. (Carmina) 199
Ad partem II. (Epistulae) 220
Ad Appendicem 235

Index nominum 243

# INTRODUCTIO

# DE VITA OPERIBUSQUE GEORGII PURKIRCHERI

Inter viros clarissimos, qui in regione nostra lucem conspexerunt quibusque iure gloriari possumus, Georgius Purkircher, poeta mirae facundiae, medicus beneficentissimus botanicaeque disciplinae peritissimus, numerandus est. Natus est Georgius Purkircher Posonii (nunc Bratislava) quarto decennio saeculi decimi sexti in mediae civium classis familia, quae quidem rerum copia non abundabat neque tamen penuria afficiebatur. Pater serie annorum et podagra premebatur, mater, cum quinque filias et unum filium peperisset, primum hydrope et morbo comitiali laborabat, deinde labe confecta est. De Georgii litterarum studiis non sumus satis superque instituti, eum tamen Posonii et Bartphae, quod est oppidum in Slovaciae ad septentrionem vergentis confinibus situm, in schola Leonarti Stöckelii, rectoris celeberrimi, studia fecisse atque anno 1549, si notae nomini Georgii Wiert altera manu adscriptae Georgium Wiert eundem esse ac Georgium Purkircherum, credere possimus, Viennae denique pridie Kalendas Octobres anni 1556 in universitate Wittenbergensi inscriptum ibique aestate anni 1558 philosophiae et artis magistrum renuntiatum esse non ignoramus. Non est dubium, quin Wittenbergae in illo tempore opus apocryphum Testamenti Veteris, quod Sapientia Salomonis inscribitur, exiguamque commendationem in Leonarti Stöckelii lusu Susanna nuncupato conscripserit. Utrumque opus anno 1559 prelo datum est. Carmen commendatorium, Susannae insertum, tenuius est. Purkircher in eo primum historiam Susannae e Danielis 13. capite apocrypho notam adumbravit, deinde papam et Turcam senes Susannam virginem commaculare sollicitantes induxit Susannamque veram ecclesiam Lutheranam esse scripsit. Sapientia Salomonis praeter 19 capita operis biblici Dedicationem et Argumentum continet. In Dedicatione, versibus elegiacis conscripta ac Maximiliano, Pannoniae et Bohemiae regi consecrata, auctor non solum rationem suam erga Maximilianum et patriam suam testificatus est, sed civitatem suam natalem cum arce ac locis arci propinquis descripsit. In Argumento, versu heroico composito, summam operis et naturam eius attulit auctoremque Sapientiae Philonem

Alexandrinum edixit. Undeviginti capita Sapientiae, versibus elegiacis versificata, viris criticam litterariam tractantibus, praecipue ad Sapientiae biblicae supplementa, quae auctor aliis Scripturae sacrae scriptis adhaerens confecerat, aestimanda aeque ad significationes eorundem temporum fortuitas iudicandas, magni momenti sunt. Carmen commendatorium tenue, distichis elegiacis compositum, Henricus baro a Starhemberg, qui mense Iunio anni 1557 in universitate Wittenbergensi inscriptus et mense Octobri anni 1558 rector electus erat, conscripsit. Quo in carmine primum domum Austriacam regiam celebravit, deinde Purkircherum pro opere Maximiliano dedicato maximam laudem acquisiturum esse praedixit.

Anno 1559 Purkircher in patriam suam ad breve tempus revertit, uti veri simile est. Eodem anno librum, quem Martinus Rakovsky de partibus rei publicae et causis mutationum regnorum imperiorumque conscripserat et ineunte anno 1560 Viennae prelo dederat, Purkircher tenui carmine lectoribus commendavit. Mox tamen Wittenbergam rediit ibique anno 1560 monofolium cum epitaphio in honorem Leonarti Stöckelii, praeceptoris sui, qui die 7. mensis Iunii mortuus erat, versu Pythiambico primo composito edidit.

Occassione primi anniversarii obitus Melanchthonis, qui fuit dies 19. mensis Aprilis anni 1561, oblata Purkircher in librum "Orationes, epitaphia et scripta, quae edita sunt de morte Philippi Melanchthonis omnia a professoribus Academiae Vitebergensis Vitebergae 1561", carmen extensum, quod Anniversarium Philomelae inscribitur, contribuit. Quod carmen postea separatim edidit. In eo, versu heroico conscripto, ad speciem carminis bucolici memoriam utriusque praeceptoris sui, Melanchthonis et Stöckelii aeque ac trium magnae auctoritatis virorum reformatae fidei adhaerentium, medici Iacobi Bordingi, medici et poetae Petri Lotichii Secundi professorisque Georgii Sabini veneratus est. Quod opus Christophoro Armprustero, civi Posoniensi, qui fautor et adiutor poetarum idemque caesareus consiliarius ac proventuum Hungariae administrator erat, dedicavit. Qua in dedicatione, hendecasyllabis phalaeciis composita, auctor Armprusterum, ut poema suum, quo virorum reformatae fidei deditorum memoriam celebraverit, favente vultu intueatur, orat atque obsecrat. In ipso Anniversario viros supra memoratos uti luscinias naturam cantu oblectantes et pastores ovium suarum sollicitos finxit. Poesis bucolica Vergilii in Purkircheri persona imitatorem excellentissimum invenit neque tamen dubium est, quin in carmine bucolico vir a doctrina catholica plane abhorrens lateat. Praeterea opus illud amoenissimum ad cognoscendam auctoris relationem erga familiam suam, praecipue erga matrem maximi momenti est, quia pastor Moeris, qui in carmine cum Amynta sodali suo sermonem confert, personam auctoris gerit. Editio Anniversarii a carmine libro supra memorato inserto quinque lectionibus differt, quae omnes prioribus meliores sunt.

Mense Iulio anni 1561 Purkircher in Collegium philosophorum electus

est, qua occassione familiaritatem cum professoribus iunxit, praecipue cum Casparo Peucero, Melanchthonis genero, Ezromo Rüdingero, Camerarii professoris genero ac Victorino Strigelio, quos postea saepe in epistolis suis ad Camerarium filium missis, salutandos cupiebat. Wittenbergae quoque familiaritatem amicitiamque fidelissimam iunxit cum Ioachimo Camerario filio, quocum postea saepe per litteras colloquebatur.

Si carmen, quod Purkircher libro, quem amici Ambrosii Stübneri, Purkircheri popularis Schemnicii (Selmecbánya, Banská Štiavnica) nati, cum Wittenberga Dantiscum abiturus erat, conscripserunt et anno 1561 publici iuris fecerunt, attulit, sub aspectu religionis consideramus, in eo quoque poeta noster se bellicosum praestitit ac in Nicolaum Olahum, archiepiscopum Strigoniensem, quem Balahum appellat, invectus est.

Autumno anni 1561 Purkircher Patavium, quo studio medicinae se daret, profectus est. Inscriptus est in universitate die 16. mensis Novembris anni 1561 neque prius ex Italia discessit, quam doctoris medicinae dignitatem adeptus est. In studiis medicinae persequendis poesiam autem non neglegebat. Occasione coronae inductionis Maximiliani Posonii mense Septembri anni 1563 oblata et Psalmum 72 versificavit et carmen Aristaeum Pisoniensem conscripsit. Psalmo Argumentum versu heroico compositum praemisit et Davidis regis pro filio Salomone orantis historiam cum Ferdinandi Maximiliano, novo regi, iustitiam et sapientiam a Deo exoptantis historia comparavit. In ipso Psalmo strophis iambicis componendo textum quidem biblicum secutus est, multis tamen in locis eum amplificavit sententiisque aptissimis ornavit. In Aristaeo Pisoniensi versu heroico conscripto poeta Aristaeum regi novo consilia, quo modo Pannonia a Turcis devastata in pristinum statum, cum toti mundo divitiis nota fuisset, adduci posset, dantem induxit. Quo in carmine pietas erga patriam, facultas pulchritudinis naturae admirandae, ingenium in animam humanam penetrandi subtile ac litterarum Graecorum et Romanorum, praecipue Vergilii Georgicorum et Bucolicorum scientia percipi possunt.

Mense Decembri anni 1563 Purkircher laurea in arte medica decoratus est. Qua occasione oblata amici eius, qui tunc temporis Patavii commorabantur, Gulielmus Berohartus Behmus, Bertrandus Diemar, nobilis Vasconus, Nicasius Ellebodius Casletanus, Dionysius Puhlerus, Paulus Kerzius Transylvanus, Elias Corvinus Michaelque Sophianus Byzantinus, in honorem eius carmina conscripserunt et librum, qui Lusus poetici ad Georgium Purkircher Pisoniensem inscribitur, Patavii anno 1563 publici iuris fecerunt. Qui liber excepto carmine a Gulielmo Beroharto Behmo composito et ab Andrea Veress libro Matricula Hungarorum in Italia studentium inserto hodie ignotus est.

Purkircher Patavii non solum Germanos, qui ibi artem medicam et iurisprudentiam cognoscebant, ex quibus nonnullos iam Wittenbergae cognoverat, sed etiam suos populares imprimis Nicasium Ellebodium et Andream Duditium, qui tunc Tridenti munere oratoris nationis Hungaricae fungeba-

tur, conveniebat. Bene eruditus erat non solum de rebus ad studium medicinae pertinentibus, sed etiam de Concilio Tridentino deque bellis in Gallia religionis causa gerendis.

Patavii Purkircher studiis quoque herbarum operam navabat. Eum Neapoli fuisse et abinde quarundam herbarum semina in patriam apportavisse notum est. Quae semina ei Posonii exierunt fructusque reddiderunt. Utrum autem ex Italia Posonium recta via reverterit, an prius Lutetiam Parisiorum profectus sit, ambigitur. Errant tamen ii, qui eum in Italia aut Lutetiae Parisiorum cum Carolo Clusio familiaritatem iunxisse affirmant, nam quamquam Clusius Italorum syrmate bene loquebatur et scribebat, in Italia nunquam fuit et eo tempore, cum Clusius Parisiis morabatur, scilicet annis 1560—1562, Purkircher primum Wittenbergae, deinde Patavii commorabatur. Annis autem 1563—1564, cum Clusius in Hispania florae Hispanicae operam dabat, Purkircher usque ad mensem Augustum anni 1564 in Italia habitabat. Ferdinando imperatore mortuo eum mox Posonium rediisse ibique habitavisse et ibi epicedium in honorem Ferdinandi conscripsisse pro certo haberi potest. Quo in epicedio Pannonia Ferdinandum deplorat, tempus suum praeteritum, felix atque beatum, comparat cum rebus afflictis temporis praesentis, cum et bello civili et bello cum Turcis afficitur. Ultima parte carminis ad novum monarcham se confert ac eum, ut belli civilis finem faciat ac iunctis concordibus armis Turcorum potestatem frangat, orat atque obsecrat. Ipsi carmini poema tenue, Echo appellatum, praemissum est. Quod poema, versibus elegiacis compositum, summa cum arte adeo conscriptum est, ut in unoquoque versu ultimae duae syllabae iisdem sonibus reddantur.

Anno 1566 Purkircher cum Sophia Lerchenfelderiana, virgine nobili ac patricio genere Posonii orta, matrimonium iunxit. Quod coniugium a Mansfeldo Patricio, poeta laureato, carmine celebratum est. Unicum autem carminis exemplar, quod olim in bibliotheca Debrecini asservabatur, nunc, id quod dolendum est, est ignotum.

Eodem anno Purkircher Psalmum 79 versificavit et publici iuris fecit, ut veri simile est. In indice libri subscripta sunt duo disticha elegiaca, in quibus Ioannes Sambucus vatem biblicum sequens subsidium a caelo orationibus repetendum esse censet. In Psalmo versibus elegiacis composito Hungaria de Turcis, quod agri sui ab iis devastentur, aurea deorum templa in spurcas cloacas, sedes ac palatia in caulas mutentur, agri sanguine spument corporaque regum mortuorum e tumulis trahantur, acerbissime conqueritur. Hungaria Deum, ut iram suam in gentiles avertat, Turcis irasci incipiat Hungariaeque pristinum decus atque nitorem reddat, orat atque obsecrat. Quod poema a nostro poeta post cladem in arce Siget (Sziget) mense Octobri anni 1566 acceptam conscriptum esse videtur. Quem Psalmum Purkircher Germanico quoque syrmate conscripsit.

Anno 1567 Ioannes Sambucus, Purkircheri particularis et amicus, cum Christina Egerer, virgine Viennensi, matrimonium iunxit. Qua occasione

oblata Purkircher poema, quod Epithalamium metamorphoticum inscribitur, versu heroico conscripsit Viennaeque eodem anno prelo dedit. Quo in carmine Ovidii de Pyramo et Thisbe narrationem imitatus est. Et in Ovidii fabula, et in Purkircheri carmine amantes ad dictum locum conveniunt, propriis manibus pereunt ac uti in Ovidii narratione morus sanguine amantum aspersa fetus pullos fert, simili modo sambucus amantum cruore tincta colorem nigrum buccis suis inducit.

Duos post annos Purkircher ultimum suum carmen extensius, Dialogum Istri et Grani in honorem Antonii Verantii, novi archiepiscopi Strigoniensis electi versu heroico conscripsit. Ister et Granus, flumina in Strigonio confluentia, malas in Pannonia vitae religiosae conditiones secum reputant, sibi tamen persuasum habent mores emendatiores refici, populum ad unam religionem adigi haereticosque Arianos a novo pastore, cuius meritis ad defendendam rem publicam aeque ad vitam religiosam corrigendam spectantibus vim verbis addunt, exstirpari posse.

Purkircher cum viris renovata antiquitatis studia exercentibus, domesticis et alienigenis, consuetudines iunxit. Posonii sodalitati poetarum, qui in horto Stephani Radetii, Camerae Hungaricae praesidis, conveniebant, Nicolaus Istvanffy, vir poesiae aeque ac historiae peritissimus, Nicasius Ellebodius Casletanus, medicus et poeta in utraque lingua, Latina et Graeca bene versatus idemque canonicus ad S. Martinum, Ioannes Sambucus Tyrnaviensis, qui tunc temporis Viennae historici caesarei officio fungebatur, adscriptus est. Anno 1569 Davidis Chytraei socios, qui e Germania in Bohemiam, Austriam Hungariamque iter longissimum fecerunt, Posonii recepit ac in urbis curia eos excipiendos curavit. Qua de peregrinatione status reformatae fidei cognoscendi causa suscepta et peracta ex Hodoeporico Bohemico, Austriaco, Hungarico etc., a Ioachimo Edeling, poeta Germanico, scripto et Rostokiis anno 1571 edito certiores fimus.

Familiaritate Purkircheri iuvenes quoque Pannonici et Transylvani utebantur. Quos a Purkirchero pecunia adiutos esse et studiis confectis in eadem amicitiae consuetudine cum eo permansisse non ignoramus.

Amicitia et familiaritate Purkircheri utebantur inter alios Ioannes Michael Brutus, Italus, historicus celeberrimus, Franciscus Forgách, quem Hungari Tacitum Hungaricum appellant, ac Hugo Blotius, bibliothecae caesareae praefectus. Litterae Purkircheri ad Blotium missae, quae Viennae asservantur, non solum ad intercessionem, quam Purkircher pro Blotio in matrimonio eius cum Catharina Behem, puella Posoniensi, iungendo fecit neque tamen ad finem adduxit, cognoscendam, sed etiam ad imperii rationem melius perspiciendam magni momenti sunt.

Posonii Purkircher circa 14 annos medicinam exercebat. Brevi tempore vir artis medicae peritissimus audiebatur. Anno 1567 Camera Hungarica Maximiliano imperatori eum honore decorandum proposuit, quod a quo tempore Posonii versatus, quamvis nulla mercede conductus, sane artis

egregium specimen edidisset et curavisset multas aegritudines satis feliciter, licet laboris et diligentiae suae, ut ipse affirmaret, pretium caperet exiguum, cum professio ipsius apud homines culturae vinearum addictos parva emolumenta exhiberet. Ab anno 1568 viris quoque captivis, qui in arce Posonii custodiebantur, medebatur, inter quos non solum proceres Hungarici Stephanus Dobo et Ioannes Balassa partibus Ioannis Sigismundi adhaerentes, sed etiam Ioannes Fredericus, Saxonum princeps, erat. Usus atque amicitia erant Purkirchero cum viris, qui in arte medica gloriam magnam sibi contulerunt, praecipue cum medicis Viennensibus, imperatori familiaeque eius medentibus. Thomae Jordano, medico castrensi, qui postea in Moraviam migravit, in librum, qui Pestis phaenomena inscribitur ac Francofurti anno 1576 prelo datus est, attulit carmen tenue, in quo Christum unicum salvatorem, qui Pannoniam peste graviter afflictam liberaret, obsecravit. Intima amicitia erat Purkirchero cum Ioachimo Camerario filio, de qua litterae frequenter datae testificantur. Carolo Clusio, viro disciplinae botanicae peritissimo, Purkircher valde familiariter usus est. Clusius septem annos incolumes in Austria remansit Viennaque herbationes et in Pannoniam suscipiebat, cuius magnam partem peragravit, multas herbas ibi florentes sibi collegit ac postea descripsit et Antverpiae publici iuris fecit 353 imaginibus libro insertis. Unam speciem phaseoli nomine Purkircheri phaseolum Purkircherianum appellavit. Ratio Clusii adversus Purkircherum cordialis ac fidelis semper non fuisse videtur, ut ex nonnullis Clusii epistulis ad Camerarium missis apparet.

Litterae Purkircheri aeque ac litterae Clusii ad Camerarium scriptae notitiis ex Protocollo testamentorum, quod Bratislavae asservatur, adhibitis ad Purkircheri vitam familiarem melius cognoscendam maximi momenti sunt. Nam si ex Purkircheri carminibus de numero quinque sororum, de praematura matris morte deque patre morbis et annis confecto certiores fimus, ex textamento Bartholomaei Purkircheri 18. die Februarii anni 1562 scripto nomina trium filiarum eius, Ursulae, Dorotheae et Catharinae cognoscimus. Nomen filii Hannsl in testamento nominati ad Georgium pertinere videtur. Cum Purkircher Anniversarium annis 1560—1561 scriberet, mater iam mortua erat, pater anno sequente testamentum scripsit, et paulo post et ipse mortem obiit, sine dubio ante diem 18. Februarii 1563, cum Purkircher Camerarium orabat, ut se ipsius patri uti filium commendaret. Ex Purkircheri epistula Camerario patri missa certiores fimus de Martino Molnero, Purkircheri sororis Ursulae filio. Martinus Molner et Thobias Lichtenberger, privignus Ursulae, anno 1569 in universitate Viennensi, anno 1570 in universitate Wittenbergensi inscripti sunt. Ladislao Bartholomaeide teste Martinus Molner studiis confectis Gorlizii concionator factus est, quod tamen veri simile non est, nam Ursula in testamento anno 1600 scripto nullam de eo mentionem fecit. Veri simile est eum eundem esse ac Purkircheri ex sorore nepotem, cui Purkircher mense Septembri anni 1577 monumentum marmoreum erigere voluerit.

Ursula primum Leopoldo Molnero, deinde Casparo Lichtenbergero nupsit. Leopoldo Molnero filium Martinum filiamque Barbaram peperit. Barbara viro cognomine Stutzlin appellato nupsit eique peperit filiam Ursulam, quae primum Basilio Spieler, cui Barbaram, Ioannem et Marcum peperit, deinde Schremberino nupsit.

Altera Purkircheri soror, Dorothea Fainin, quattuor liberos peperit, quos Ursula in suo testamento matre eorum iam mortua obdonavit. Tertia Purkircheri soror, Catharina, Gregori Gruebmullero nupta filium Ioannem filiamque Ursulam peperit. Nomina reliquarum sororum non sunt nobis nota.

Georgius Purkircher Sophiam Lerchenfelderianam uxorem duxit, quae ei, dum vixit, quinque liberos peperit, tres filios et duas filias, ex quibus filium maximum natu et postremam filiolam amisit, ut ipse scribit in epistula ad Camerarium 12. Februarii 1575 missa. Ex epistula Clusii ad eundem Camerarium 29. Octobris 1577 scripta cognoscimus reliquos Purkircheri liberos, duos filios et filiam, peste correptos esse, ex quibus unus filius cum patre 24. Octobris mortuus sit. Altera epistula, 10. Decembris 1577 ad Camerarium scripta Clusius nos certiores facit ex Purkircheri liberis unum superfuisse. Convaluit tamen filia, ut ex testamento Ursulae, iam supra memorato, intellegi potest. Ursula enim utramque fratris sui filiam, Rosinam et Elisabetham obdonavit. Rosina tris nupta fuit. Primo consorti filium Georgium Mauriczum peperit, cum altero Augustino Wagner anno 1600 vivebat, tertio Lucae Ekkero, filias Sophiam et Annam peperit. Sophia primum Stephano Nagovich, deinde Stephano Bornemisza nupsit, Annam Paulus Santa uxorem duxit. Ex actis publicis tabellarii urbis Posonii certiores fimus Rosinam, Purkircheri filiam 17. Decembris anni 1636 iam mortuam esse. Alteram Purkircheri filiam Elisabetham Galon Bakyts uxorem duxit, cui filium Ioannem peperit. De vita Elisabethae deque sorte prolis eius nihil novimus.

De Sophia, Purkircheri uxore Clusius scribit parum abfuisse, quin maritum subsequeretur. Convaluit tamen ac postea Clusius eam Posonii visitavit et octo semina Phaseoli Purkircheriani ab ea acquisivit.

De Davide, Sophiae, Purkircheri uxoris, fratre Purkircher mentionem facit, ut veri simile est, in epistula ad Bartholomaeum Purlamuz scripta. De vita Reginae, Sophiae sororis, nullam notitiam habemus aeque ac de affinitate Johannis Mairhofer, Sophiae consobrini, qui Galgotii mortem obiit. Deest notitia de affinitate Hevidelii, de cuius nuptiis hilariter peractis Purkircher facit mentionem in epistula ad Clusium mense Octobri anni 1576 scripta.

Epistulae ad melius cognoscendam Purkircheri vitam maximi momenti sunt. Si ex poematis eius sororum numerum, matris morbos patrisque senectutem cognoscimus, epistulis eius perlectis de ipsius familia, scilicet de liberis, uxore, socru, sororis nepote, uxoris fratre, sororio ac patruo certiores fimus.

Epistulae tempore studiorum Patavii peractorum scriptae ad conditiones in universitate Patavina illius temporis cognoscendas gravissimae sunt. Nuntii eius de studiorum artis medicae ratione, de professoribus existimatio, sectionis puellae descriptio, librorum ad medicinam spectantium studium ac curae medicae in Ferdinando imperatore a medico Bacho exhibitae reprehensio, gravissimam Purkircheri ad futuram artem medicam agendam rationem confirmant. Quae res studio quoque eius animalium morbis botanicaeque arti adhibito approbatur.

Epistulae Purkircheri Patavii scriptae ad relationes studentium mutuas, amicas et inimicas, nonnunquam in rixas effluentes aeque ac studentium adversus magistratus indignationes cognoscendas non levis momenti sunt. Eaedem epistulae rebus ad religionem illius temporis pertinentibus, scilicet Concilio Tridentino, Hugenotarum persecutioni eiusque in Italia approbationi, eligendis novis cardinalibus, praelatorum ecclesiae perfidiae eorumque animis studio rerum novarum infestis cognoscendis valde contribuunt.

De suis studiis Wittenbergae peractis in epistulis Patavii scriptis Purkircher non facit mentionem, suos autem amicos et collegas, quibus ibi familiariter usus erat, Casparum Peucerum, Ezromum Rüdingerum, Hubertum Languetum Victorinumque Strigelium saepe nominat et salutat.

Si ex Sapientia Salomonis de arcis Posoniensis maiestate, de locorum circumiacentium pulchritudine et amoenitate deque poesi Posonii colenda certiores fimus, in epistula ad Ioachimum Camerarium filium scripta Purkircher de eius quadam rustica inhospitalitate hominibus exteris molesta, cum peregrinis vix locus ullus in hospitiis patuisset, questus est.

Si in Dedicatione Sapientiae Maximiliano tristissimis verbis Ferdinandi relationem adversus Maximiliani praedicatorem Pfauserum descripsit, in epistulis Patavii scriptis propositiones Ferdinandi Concilio Tridentino missas approbavit offensusque fuit in medicum Bachum pro cura, qua imperatori mederetur. Infestum et offensum se praestitit in Turcas: certiorem nos facit de vana eorum Maltae oppugnatione, de strangulatione Baiazeti deque Turcarum in Dalmatiam invasione suscepta.

Erat quidem Purkircher Hungariae civis, sed gentilitatem suam Germanam non negabat. Paenituit eum sanguinis militum Germanorum perfusae, in litibus inter Germanorum et Polonorum studentes ortis Germanis favebat. In epistulis quoque Posonii scriptis suam gentilitatem Germanam non celabat: uxorem Germanae originis duxit deque Germanorum in religione non unanimis sententiis conquestus est.

Ex epistulis Purkircheri Posonii scriptis certiores fimus de eius familia: de uxore, de liberorum numero, de morte primigeniti filii et filiae minimae natu, de eius indulgentia in sororis filium, de uxoris fratre deque eius sororio et patruo Norimbergensi. Certiores fimus etiam de eius herbarum et metallorum scientiae studio.

Non neglegendae sunt epistulae Purkircheri missae ad Hugonem Blotium, bibliothecae caesareae praefectum et oratoriae facultatis in Archigym-

nasio Viennensi professorem. Certiores enim fimus primum de Purkircheri cura in Hungaros Patavii studentes collata, deinde de variis rebus ad bellum gerendum pertinentibus, de quibus Schvendius Blotium docebat, post de exploratoribus ac proditoribus militaribus, denique ac praesertim de matrimonio Blotii cum Catharina Behem, Christophori Armprusteri privigna ac filia Magdalenae Seiberlich, sororis Pauli Seiberlich, viri politici magnae auctoritatis.

Ex Purkircheri epistula ad Zachariam Praetorium missa certiores fimus imprimis de Philippi Camerarii captivitate Romana. Ex epistula ad Bartholomaeum Purlamuz scripta cognoscimus primum socrum Purkircheri anno 1571 nondum mortuam esse, deinde certiores fimus de Davidis Lerchenfelderi, Purkircheri uxoris fratris studiis litterariis.

Epistula ad Clusium scripta nos docet de nuptiis ignotioris affinis Hevidelii, de morte Purkircheri uxoris sororii Ioannis Mairhofer.

Epistula Martini Rakovsky ad fratrem Nicolaum scripta brevi mentione de Purkircheri typograpo, qui opus Rakovsky de magistratu politico excudat, inveniendi voluntate confirmat amicitiam et familiaritatem Martini Rakovsky cum Purkirchero, qui iam pridem operi Rakovsky Libello de partibus rei publicae et causis mutationum regnorum imperiorumque carmen commendatoriam inseruit et anno 1560, ut opus Rakovsky De obitu Domini Georgii Rakovsky in typographia viduae Zimermanni agnatae Seiberlichiorum, quorum familiaritate Purkircher valde utebatur, excuderetur, ut veri simile est, intercessit.

Epistulae Caroli Clusii ad Ioachimum Camerarium filium missae, in nostro libro promulgatae modice quidem sed tamen contribuunt ad melius cognoscendam Purkircheri vitam.

Epistulae, quae in Bibliotheca Universitatis Erlangensis asservantur, in imaginum luce impressarum forma atque a Bela Varjas collectarum, ex Instituto Litterarum Academiae Scientiarum Hungaricae editori commodatae sunt. Epistulae quoque, quae Viennae asservantur, in imaginum luce impressarum forma editori commodatae sunt. Epistulae autem, quae Posonii, Bartphae ac Tyrnaviae asservantur, in forma originali editori apertae erant.

Omnibus feminis et viris doctis, qui in hoc opere componendo beneficia aliqua in nos contulerunt, gratias agimus. Sunt praecipue tabellariorum Bratislavae et Viennae praesides, quorum beneficio multas tabulas publicas necessarias acquisivimus. Maximam tamen gratiam debemus iis, qui nobis Purkircheri aliorumque scriptorum opera aut eorum imagines luce factas acquirendas curaverunt, praecipue Agneti Ritoók, Bibliothecae Academiae Scientiarum Hungaricae feminae doctissimae, quae nobis carmina Propempticorum Budapestino inviavit; Ioanni Martínek, Instituti Studiorum Graecorum et Latinorum, quod Pragae est, viro doctissimo, qui nobis operum ad vitam Purkircheri spectantium necnon carminis eius Thomae Jordani operi inserti imaginem luce faciendam curavit; Iulio Sopko,

Academiae Scientiarum Slovacae Instituti Historici viro doctissimo, qui nobis imagines Psalmorum 72 et 79, Dialogi Epithalamiique luce factas Budapestini acquisivit; Frederico Závarský, Universitatis Viennensis viro doctissimo ac amico semper colendo, qui nobis imagines Sapientiae Salomonis, Pannoniae lugentis nec non Aristaei Pisoniensis in Bibliotheca Nationali Viennensi luce faciendas curavit et Bratislavam apportavit; Priscae Uray, Instituti Litterarum Academiae Scientiarum Hungaricae laboris adiutrici, quae nobis imaginem Psalmi 79 lingua Germanica scripti luce factam acquisivit; directoribus Bibliothecae Universitatis Yalianae (New Haven), necnon Bibliothecae Universitatis Erlangenianae, qui imagines epistolarum luce factas nobis inviandas curaverunt; denique Veronicae Šilon, discipulae nostrae deditissimae, quae nobis imagines Anniversarii luce factas ex Universitatis Bibliotheca, quae Hallis Saxonum est, Bratislavam attulit.

Instituto Litterarum Academiae Scientiarum Hungaricae eiusque praesidi Tiburtio Klaniczay, qui nobis epistulas Purkircheri et Clusii ad Ioachimum Camerarium a Bela Varjas collectas et luce factas tradidit, gratissimos nos praestamus.

Miloslaus Okál

# DE MANUSCRIPTIS ET EDITIONIBUS

## De manuscriptis epistularum

Bardejov, Okresný Archív, Fond: Magistrát mesta Bardejov, Missilia. (Ep. XIV.)
Bratislava, Štátny Ústredný Slovenský Archív (=ŠUSA), Archív rodu Rakovských, 704. (App. 8.)
Erlangen, Universitätsbibliothek (UB), Briefsammlung Trew, v. Schmidt-Herrling, S. 479–480. (Ep. I–X., XII., XV–XVII., XIX., XXIII., XXV., XXVII., XXVIII., XXX–XXXII.)
New Haven, Yale University Library, Collectio Osborniana (Ep. XX.)
Trnava, Okresný Archív, Fond: Magistrát mesta Trnava, Missilia. (App. 48.)
Wien, Österreichische Nationalbibliothek (=ÖNB), Cod. 9737. 14, fol. 79 (Ep. XIII.), Cod. 9737. 15, fol. 195 (Ep. XXI.), fol. 211–212 (Ep. XXIV.), fol. 215 (Ep. XVIII.), fol. 223 (Ep. XXVI.), fol. 232 (Ep. XXIX.), Cod. 9737. 18, fol. 139 (App. 49.)
Wien, ÖNB, Cod. Series Nova 363. fol. 200. (Ep. XXII.)

*

Litteras Caroli Clusii Ioachimo Camerario scriptas edidit Hunger (v. Bibliographiam).

# Libri impressi, e quibus carmina Purkircheri edimus

I. ⟨Ad lectorem⟩. In: Historia von Susanna in Tragedien weise gestellet zu Ubung der Jugent zu Bartfeld in Ungarn. Durch Leonart Stöckel zu Bartfeld Schulmeister. Wittenberg, H. Lufft, 1559. Fol. A 1 b.

Exemplar editionis unicum inveniebatur olim Berolini in Bibliotheca Regia. Carmen dedicatorium transscriptum est ex libro Szilasi (vide Bibliographiam), p. 50.

II. Liber Sapientiae Salomonis, carmine redditus per M⟨agistrum⟩ Georgium Purkircher Posoniensem. [Wittenberg, H. Lufft?] Anno 1559.

In fol. A 1 b Epigramma Henrici Baronis a Starhemberg (vide App. 1.) — Budapest, Egyetemi Könyvtár, RMK III. 110; Wien, ÖNB, 3. L. 7.

Locus libri editionis non est impressus. In indice libri imago Dei cum primis parentibus circulo inclusa est. In ultima libri pagina ornamentum non idem ac in Anniversario, simile tamen impressum est.

III. Epigramma ad lectorem. In: Martinus Rakocius: Libellus de partibus reipublicae. Viennae Austriae, R. Hoffhalter, 1560. Fol. F 3 a. — Bratislava, Knižnica Slovenskej Akadémie vied, V teol. 1113, 2; Budapest, Országos Széchényi Könyvtár, RMK III. 475.

IV. Epitaphium clarissimi viri, D⟨omini⟩ Leonarti Stokhelii, rectoris scholae Bartphensis fidelissimi, qui obiit Bartphae anno Christi 1560, die 7. Iunii, qui est quinquagesimus dies post mortem D⟨omini⟩ Philippi Melanthonis, praeceptoris eiusdem. [Wittenberg, J. Crato] 1560. — Budapest, Országos Széchényi Könyvtár, RMK III. 481. (In tergo monofolii m. p. dedicatio auctoris Thomae Entzemmeis notario reipublicae Pisoniensis.)

Locus monofolii editionis non est impressus. In infima parte monofolii impressa sunt verba: Georgius Purkircher Pisoniensis sui optimi praeceptoris manibus hoc carmen dedicavit.

V. Anniversarium sacrum Philomelae, in quo pastores Moeris et Amyntas mala anni a Christo nato ex Virgine 1560 carmine deplorant. [Wittenberg, J. Crato] 1561. — Budapest, Akadémia Könyvtára, Ráth 1114. (In folio titulari m. p. dedicatio auctoris Georgio Aichbergero); Halle, Universitätsbibliothek, II C 1786.

In indice libri imago Philippi Melanchthonis circulo inclusa est. In ultima libri pagina ornamentum non idem ac in Sapientia Salomonis, simile tamen impressum est.

Idem in: Orationes, epitaphia et scripta, quae edita sunt de morte Philippi Melanthonis omnia ... a professoribus Academiae Vitebergensis. Vitebergae, J. Crato, 1561. Fol. k 4 b — m 3 a. — Budapest, Akadémia Könyvtára, 551. 972.

VI. Προπεμπτικον reverendo viro, domino M⟨agistro⟩ Ambrosio Stubnero Schemnicensi, Viteberga discedenti, scriptum ab amico et populari

suo, M⟨agistro⟩ Georgio Purkircher. In: ΠΡΟΠΕΜΠΤΙΚΑ scripta ab amicis ad reverendum virum pietate et eruditione praestantem D⟨ominum⟩ M⟨agistrum⟩ Ambrosium Stubnerum Schemnicensem Pannonium Viterberga Dantiscum discedentem ad docendam Dei ecclesiam. — Vitebergae, J. Crato, 1561. Fol. A 3 a — A 4. a.; Budapest, Akadémia Könyvtára, Ráth 1118.

VII. Ad divum Max⟨imum⟩ Aemylianum, Romanorum et Boiemiae regem, Psalmus LXXII. Da Deus regi iudicia tua etc. carmine red⟨d⟩itus per Georgium Purkircherum Posoniensem. Patavii, Gr. Perchacinus, 1563. — Budapest, Egyetemi Könyvtár, RMK III. 120.

VIII. Divo Max⟨imo⟩ Aemyliano primo, Pannoniarum regi etc. sacer Aristaeus Pisoniensis, Georgio Purkirchero Pisoniensi authore. Patavii, Gr. Perchacinus, 1563. — Wien, ÖNB, 20. T. 66.

IX. Divi Ferdinandi I., Romanorum imperatoris et Hungariae regis, etc. manibus sacrum. Pannonia lugens. Authore Georgio Purkirchero Pisoniensi. Viennae, Vidua Zimermanni, 1565. — Wien, Bibliotheca Thereseiana, V III 4 Th 15. (In folio titulari m. p. dedicatio auctoris Johanni Aicholtz, medicinae artis doctori.)

X. Psalmus LXXIX. Deus, venerunt gentes, etc. carmine redditus pro Hungaria gravissime cum Turcis conflictante. Au⟨t⟩hore D⟨omino⟩ Georgio Purkirchero Posoniensi. Viennae Austriae, C. Stainhofer 1566. In folio titulari Carmen Ioannis Sambuci. V. App. 2. — Budapest, Egyetemi Könyvtár, RMK III. 115; Budapest, Országos Széchényi Könyvtár, RMK III. 547; Wien, ÖNB, 79. R. 96.

XI. Der 79. Psalm Davids, Herr es sind Heyden in dein Erbe gefallen, etc. in diesen Kriegsleuffen wieder den Türcken gantz nötig zu singen ... und der wolgebornen Frawen Catharina Gräfin von Salm, gebornen von Perstein etc. zu wolgefallen, gefertigt und aussgangen. Wien, C. Stainhofer. [1566]. — Wien, ÖNB, 79. R. 95. (In folio titulari m. p. dedicatio auctoris dominae Catherinae a Salm.)

XII. Epithalamium metamorphoticum ad nuptias D⟨omini⟩ Ioan⟨nis⟩ Sambuci etc. autore D⟨omino⟩ Georgio Purkirchero Pannonio. Viennae Austriae, C. Stainhofer, 1567. — Budapest, Országos Széchényi Könyvtár, RMK III. 556.

XIII. Reverendissimo praesuli domino Antonio Verantio, archiepiscopo Istrograniensi etc. sacer Dialogus Istri et Grani. Viennae Austriae, C. Stainhofer, 1569.

In folio A 1 b Carmen Ioannis Sambuci. V. App. 3. — Budapest, Egyetemi Könyvtár, RMK III. 129.

XIV. In librum Thomae Jordani de peste. In: Thomae Iordani Pestis phaenomena. Francofurti, A. Wechel, 1576. Fol. A 5 b. — Budapest, Akadémia Könyvtára, RMK III. 210; Budapest, Országos Széchényi Könyvtár, RMK III. 650.

# DE ORTHOGRAPHIA

Orthographia carminum Purkircheri unica non est neque dubitari potest, quin in ea re patranda opifices libris prelo excudendis magis quam auctor valuerint. Differunt enim inter se orthographia opera, nam in variis officinis — Wittenbergae (Propemptika), Patavii (Psalmus 72, Aristaeus), Viennae apud viduam Zimermanni (Pannonia lugens), Viennae apud Stainhoferum (Psalmus 79, Epithalamium, Dialogus) prelo data sunt. Praeterea officinae, in quibus opera Sapientia Salomonis, Epitaphium, Anniversariumque excusa sunt, non sunt notae. Quae orthographiae diversitas in litteris s, u/v, i/y, e/ae/oe/ę, ci/ti maxime manifesta est. Littera consonans s tribus enim signis scribitur. In verbis littera s incipientibus scribendis semper s Gothicum (ſ) invenitur, in verbis autem littera s desinentibus s Latinum (s) sine discrimine scribitur. At s in mediis verbis situm utroque signo (ſ, s, ſſ, ſs) scriptum invenimus. Littera vocalis u in mediis verbis sita sine discrimine signo u scribitur, in verbis autem littera vocali u incipientibus non est idem usus saepeque signum v invenitur. Littera consonans v in mediis verbis sine discrimine signo u scribitur excepto verbo auxiliove. In verbis autem littera v incipientibus utrumque signum (v et u) scriptum invenitur. Signum y pro i in solis verbis lacrymae, sylvae, sylvestris, hyems, Transylvania, Aemylius, inclytus invenitur. I geminatum signis ij scribitur. Ci pro ti in verbis blandiciis, iusticiae, nunciat invenitur. Ae pro e excepta Sapientia non invenitur; ę pro ae in Aristaeo solo quater scribitur.

Superflua, non tamen frequens, est reduplicatio litterarum consonantium ll, rr, pp. Aspiratio adiecta litterae c rara, litterae t frequentior est. At contra, aspiratio nunquam deest. Omissae sunt litterae consonantes s (exequitur) et p (contemtum, diremta).

In textibus carminum Georgii Purkircher transscribendis orthographiam eius retinendam censuimus interpunctione litterisque quorundam versuum initialibus mutatis et ordinatis. Tria signa litterae consonantis s magna cum varietate scripta unificavimus. Litteram consonantem v a littera vocali u distinximus. Signum ę cum signo ae commutavimus. Abbreviationes, quae hic et illic inveniuntur, ad integrum statum redegimus.

Orthographia epistularum Georgii Purkircheri unica non est. Quae diversitas in litteris s, u/v, i/y maxime manifesta est. Littera consonans s tribus enim modis scribitur: s Gothico (ſ), s Latino (s), utroque signo (ſs). Littera vocalis u in mediis verbis sita aeque ac in verbis littera vocali u incipientibus sine discrimine signo u scribitur. Ex contrario littera consonans v in mediis verbis sita semper signo u scribitur, sed in verbis littera v incipientibus usus variatur (uulnus, uacanti, uelit, uiue, sed vere, vel, de vitae socia). Signum y pro i in solis verbis lacryma, sylvestris, sylva, hyems, Transylvania invenitur. I geminatum signis ij scribitur (alijs). Aspiratio adiecta est nonnunquam litterae t (authores, cartha, Maltham, in authumno). Omissae sunt litterae consonantes s et p (expecto, sumsit). N scribitur

pro m (duntaxat, utrinque). Insolita sunt infinitiva futuri passivi: credo tibi omni reddit iri; tunc catarrhum et febrim sublate iri promisit.

In textibus epistularum Georgii Purkircheri orthographiam retinendam censuimus interpunctione mutata. Signum s unificavimus. Litteram consonantem v a littera vocali u distinximus. Nonnullas abbreviationes, quae in epistulis inveniuntur, magna ex parte ad integrum statum redegimus.

## ABBREVIATIONES ET SIGNA

| | |
|---|---|
| ann. | annotatio; in annotatione |
| app. | appendix; in appendice |
| app. crit. | apparatus criticus |
| c., carm. | carmen |
| cf. | confer |
| ep. | epistula |
| fl. | fluvius |
| fol. | folio |
| h. | hodie |
| id. | idem |
| m. p. | manu propria |
| marg. | marginalia; in margine |
| o. c. | opus citatum |
| op. | oppidum, civitas etc. |
| p. | pagina |
| sc. | scilicet |
| sq. | sequens |
| tit. | titulus; in titulo |
| tom. | tomus |
| v. | vide |
| ⟨ ⟩ | expletio textus ab editore inserta |
| ⟨...⟩ | litterae, quae legi non possunt |
| *litterae cursivae* | verba nostra in annotationibus criticis |

## BIBLIOGRAPHIA

Abbreviationes bibliographicae:

| | |
|---|---|
| BSMRAe | Bibliotheca Scriptorum Medii Recentisque Aevorum |
| CR | Corpus Reformatorum |
| ZFFUK | Zborník filozofickej fakulty univerzity Komenského |

Ábel Jenő: Das Schauspielwesen zu Bartfeld im XV. und XVI. Jahrhundert. In: Ungarische Revue, IV (1884), S. 649–675.
Id.: A bártfai Szent Egyed templom könyvtárának története. Budapest 1885.
Adelung, Johann Christoph: Fortsetzung und Ergänzungen zu Christian Gottlieb Jöchers Allgemeinen Gelehrten-Lexicon. I–VI. Leipzig–Delmenhorst–Bremen 1787–1819.
Bálint Nagy István: Purkircher György (1530–1578) pozsonyi orvos élete. In: Orvosi Hetilap, 1930, pp. 553–556, 581–584.
Barkoczi, Franciscus: Ungaria suis cum regibus compendio data. Tyrnaviae 1729.
Barlay Ö. Szabolcs: Elias Corvinus és magyarországi barátai. In: Magyar Könyvszemle, 93 (1977), pp. 345–353.
Bartal, Antonius: Glossarium mediae et infimae Latinitatis regni Hungariae. Lipsiae 1901.
Bartholomaeides, Ioannes Ladislaus: Memoriae Ungarorum, qui in alma condam universitate Vitebergensi studia ... confirmarunt. Pesthini 1817.
Bibl, Viktor: Maximiliänus II., der rätselhalfe Kaiser. Hellerau bei Dresden 1929.
Biblia sacra Veteris et Novi Testamenti. Basileae 1578.
Bindseil, Heinrich Ernst: Epistolae, iudicia, consilia, testimonia, quae in Corpore Reformatorum desiderantur. Halis Saxonum 1874.
Bonfinis, Antonius de: Rerum Ungaricarum decades. Tom. 1–4. Ed. I. Fógel, B. Iványi, L. Juhász, M. Kulcsár, P. Kulcsár. Budapest 1936–1976 (BSMRAe).
Brutus, J. Michael: Opera varia selecta. Berolini 1698.
Buchwald, C.: Beiträge zur Kenntniss der evangelischen Geistlichen und Lehrer Oesterreichs aus den Wittenberger Ordiniertenbüchern seit dem Jahre 1573. In: Jahrbuch der Gesellschaft für die Geschichte des Protestantismus in Oesterreich XVII (1896).
Id.: Wittenberger Ordiniertenbuch, 1537–1560. Leipzig 1894.
Bucko, Vojtech: Mikuláš Oláh a jeho doba. Bratislava 1940.
Id.: Reformné hnutie v arcibiskupstve ostrihomskom do roku 1564. Bratislava 1939.
Chiffletius, Philippus (ed.): Sacrosancti et oeconomici concilii Tridentini canones et decreta. Coloniae Agrippinae 1647.
Clusius, Carolus: Rariorum aliquot stirpium per Hispanias observatarum historia, libris duobus expressa. Antverpiae 1576.
Id.: Rariorum aliquot stirpium per Pannoniam, Austriam et vicinas quasdam provincias observatarum historia, quatuor libris expressa. Antverpiae 1583.
Id.: Stirpium Nomenclator Pannonicus. Nemetujvarini 1583.
Id.: Rariorum plantarum historia. Antverpiae 1601.
Corpus reformatorum (Melanchthon), ed. Bretschneider (I, X, XI, XII, XVI).
Costil, Pierre: André Dudith, humaniste hongrois, 1533–1589. Paris 1935.

Cubinius, Ladislaus: Epicedia in honorem Ioannis Listhii. Pragae 1577.
Curtius, Ernst Robert: La littérature européenne et le moyen âge Latin. Paris, Presses universitaires, 1956.
Cytowska, Maria: Erasme et les Turcs. In: Eos LXII (1974), 311–321.
Czvittinger, David: Specimen Hungariae literatae, virorum eruditione clarorum natione Hungarorum, Dalmatarum, Croatarum, Slavorum atque Transylvanorum. Francofurti et Lipsiae 1711.
Dějiny středověku, I–II. Praha, 1968.
Demkó Kálmán: A magyar orvosi rend története, 2. köt. Budapest 1894.
Enciclopedia Italiana, I–XXXV. Milano–Roma 1929–1937.
Enciclopedia universal ilustrada, 1–69. Bilbao–Barcelona–Madrid 1930.
Encyclopedia Britannica, 1–23. Chicago 1965.
Festschrift anlässlich der 400jährigen Wiederkehr der wissenschaftlichen Tätigkeit von Carolus Clusius (Charles de l'Escluse) im pannonischen Raum. Hrsg. Gerold Mader. Eisenstadt 1973. (Burgenländische Forschungen, Sonderheft 5.)
Flavius, Iosephus: Opera. Francoforti 1617.
Foerstmann, Carolus: Album Academiae Wittebergensis. Lipsiae 1841.
Forgách, Franciscus: Rerum Hungaricarum sui temporis commentarii. Posonii–Cassoviae 1788.
Fraknói Vilmos: Egy XVI. századbeli magyar füvész barátai. In: Századok 1873, pp. 525–537.
Frankl ⟨Fraknói⟩ Vilmos: Hazai és külföldi iskolázás a XVI. században. Budapest 1875. pp. 149–184.
Id.: Melanchton és magyarországi barátai. In: Századok 1874, pp. 149–184.
Id.: Melanchtons Beziehungen in Ungarn, Budapest, 1874.
Gerstinger, Hans–Vantuch, Anton (hrsg): Die Briefe des Johannes Sambucus. Graz 1968.
Giomo, Giuseppe: L' archivio antico della Università di Padua. Venezia 1693.
Golenisčev–Kutuzov: Italianskoje vozroždenije i slavjanskije literatury 15–16. vekov. Moskva 1963.
Gömöri György: Sir Philip Sidney magyarországi kapcsolatai és hírei Magyarországról. In: Kortárs, 1983, 428–437.
Grand Larousse encyclopédique, 1–10. Paris 1960–1964.
Der Grosse Brockhaus, 1–21. Leipzig 1928–1935.
Hammer, J.: Geschichte des Osmanischen Reiches, III. Pest 1828.
Holák, Ján: Topografia historického jadra Bratislavy v 18. storočí. In: Bratislava, Ročenka III (1967).
Horányi, Alexius: Memoria Hungarorum et provincialium scriptis editis notorum, I–III. Viennae–Posonii 1775–1777.
Hornyánszky Viktor: Beiträge zur Geschichte evangelischer Gemeinden in Ungarn. 2. Aufl. Pest 1867.

Hrabovec, Ivan: Začiatky botaniky na Slovensku. In: Veda VII. Bratislava 1974.
Id.: Botanik Charles de l'Escluse. In: Dějiny věd a techniky. Praha 1973.
Humanizmus a renesancia na Slovensku v 15–16. storočí. Bratislava 1967.
Hunger, F. W. T.: Charles d'Escluse, (Carolus Clusius) Nederlandsch kruidkundige 1526–1609, I–II, 's-Gravenhage 1927–1943.
Hybernicus, Thomas: Flores omnium pene doctorum, qui tum in theologia, tum in philosophia hactenus claruerunt. Lugduni 1580.
Istvanffy, Nicolaus: Carmina. Ed. Iosephus Holub et Ladislaus Juhász, Lipsiae 1935. (BSMRAe)
Id.: De rebus Ungaricis libri XXXIV. Coloniae 1622.
Jordán, Thomas: Pestis phaenomena. Francofurti 1576.
Jöcher, Christian Gottlieb: Allgemeines Gelehrten Lexicon, I–IV. Leipzig 1750–1751.
Katona, Stephanus: Historia critica regum Hungarie, XXIII–XXVII. Budae 1784–1799.
Klaniczay Tibor: Nicasius Ellebodius és poétikája. In: Irodalomtörténeti Közlemények, LXXV (1971) pp. 24–34.
Id.: La crise de la Renaissance et le maniérisme. In: Acta Litteraria Academiae Scientiarum Hungaricae, XIII (1971), pp. 269–314.
Klein, Johann Samuel: Nachrichten von den Lebensumständen und Schriften Evangelischer Prediger in allen Gemeinden des Königreichs Ungarn, I–II. Leipzig und Ofen 1789.
Kneifel Mária: Purkircher György. Budapest 1941.
Koppay, Georgius: Opera omnia. Ed. M. Okál. Bratislava 1980.
Köstlin, Julius: Baccalaurei und Magistri der Wittenberger philosphischen Facultät 1548–1560. Halle 1891.
Kuzmík, Jozef: Slovník autorov slovenských a so slovenskými vzt'ahmi za humanizmu. I–II. Martin 1976.
Legrand: Description de Paris et de ses édifices. Paris 1818.
Lehotská, Darina: Kultúrny vývoj v Bratislave v 15–16. storočí. ZFFUK, Historica, XVIII (1967).
Lehotzky, Andrej: Stemmatographia nobilium familiarum, I–II. Posonii 1798.
Id.: Index scriptorum publico-politico judicorum. Posonii 1803.
Lipták, Johann: Geschichte des evang. Distriktual-lyzeums A. B. in Kesmark. Kežmarok 1933.
Lotichius Secundus, Petrus: Poemata. Dresdae 1708.
Magyary-Kossa Gyula: Magyar orvosi emlékek, 1–4. köt. Budapest 1929–1940.
Maior, Johannes: Synodus avium depingens miseram faciem Ecclesiae propter certamina quorundam, qui de primatu contendunt cum oppressione recte meritorum. 1558.

Margalits, Eduardus: Florilegium proverbiorum universae Latinitatis. Budapestini 1895.
Martínek, Jan: Nová humanistická bohemika. In: Listy filologické, 94 (1971).
Die Matrikel der Universität Wien, Bd. 3, 1. Lief. Bearb. von Franz Gall. Graz—Köln 1959.
Melanchton, Philippus: Ad regem Ferdinandum, CR I.
Id.: Dissertatio de loco Platonis, CR X.
Id.: De Eberardo duce Wirtebergensi, CR XI.
Id.: De legibus, CR XI.
Id.: De Friderico Saxoniae duce, CR XII.
Id.: In Politica Aristotelis, CR XVI.
Mencsik Ferdinánd: A Páduában tanuló Blotz Hugo levelezése erdélyi és magyarországi barátaival (1571—1574). In: Erdélyi Múzeum, 27 (1910), 22—50.
Mišianik, Ján: Pohľady do staršej slovenskej literatúry. Bratislava 1974.
Nagy Iván: Magyarország családai, XII (Verancsics). Pest 1865.
Neue Deutsche Biographie, I— Berlin 1953—
Okál, Miloslav: Rozmach rodu Rakovských v XVI. storočí. I. ZFFUK, Historica, XVIII (1967), II. Ibidem, XIX (1968).
Id.: Martin Rakovský et son recueil „Elegiae et epigrammata". In: Listy filologické, 90 (1967).
Id.: L'humaniste slovaque Martin Rakovský et le nombre nuptial de Platon. In: Listy filologické, 89 (1966).
Id.: La Politique d'Aristote et le Libellus de partibus rei publicae et causis mutationem regnorum imperiorumque. In: ZFFUK, Graecolatina et Orientalia, I (1969).
Id.: Martin Rakovský a jeho Encomium na Tomáša Nádasdiho. In: ZFFUK, Historica, XX (1969).
Id.: La vie et l'oeuvre de Sigismonde Gélous Torda. In: ZFFUK, Graecolatina et Orientalia, VI (1974).
Id.: Martin Rakovský und die Humanisten seiner Zeit. In: ZFFUK, Graecolatina Orientalia, IX—X. (1977—1978).
Id.: La vie et l'oeuvre de Georges Koppay. In: ZFFUK, Graecolatina et Orientalia, VII—VIII (1978).
Id.: Život a dielo Martina Rakovského, I—II. Martin, Matica slovenská, 1979—1983.
Id.: Bratislavský humanistu Juraj Purkircher. In: Vlastivedný časopis, XXIX (1979) n. 2.
Id.: Život a dielo bratislavského humanistu Juraja Purkirchera. Martin, Matica slovenská, 1984. (Biografické štúdie, 11.)
Oláh, Nicolaus: Hungaria. Vindobonae 1763.
Ortvay, Theodor: Geschichte der Stadt Pressburg, II. Pressburg 1905.
A Pallas Nagy Lexikona, 1—16. Budapest 1893—1897.

Pallavicino, Sforza: Istoria dei concilio di Trento, 5. vol. Milano 1831.
Papadopoli, Nicolas: Istoria gymnasii Patavini. Venetiae 1726.
Papp Márta: Brutus J. Mihály és Báthory István magyar humanistái. Budapest 1940.
Philipp Melanchthon, Humanist, Reformator, Praeceptor Germaniae. Bd. 1. Hrsg.: Melanchthon Komitée der Deutschen Demokratischen Republik. Berlin 1963.
Philo Iudaeus: Opera, vol. II. [London] Typis Gulielmi Bowyer, 1742.
Rakovský, Martinus: Opera omnia. Ed. M. Okál. Bratislava, 1974.
Reva, Petrus de: De monarchia et sacra corona regni Hungariae centuriae septem. Francofurti 1659.
Révai Nagy Lexikona, 1—21. Budapest 1935.
Ribini, Ioannes: Memorabilia ecclesiae Augustanae confessionis in regno Hungariae a Ferdinando I. usque ad III. I—II. Posonii 1787—1789.
Rieger, František Ladislav: Slovník naučný, 1—10. Praha 1860—1873.
Rimely, Carolus: Capitulum insignis ecclesiae collegiatae Posoniensis. Posonii 1880.
Rukovět' humanistického básnictví v Čechách a na Moravě od konce XV. do začátku XVII. století. I—V. Praha, ČSAV, 1966—1982.
Sambucus, Ioannes: Poemata. Patavii 1555.
Id.: Emblemata. Antverpiae 1564, 1569[3].
Id.: De imitatione Ciceroniana. Parisiis 1567.
Schhematismus historicus Neosoliensis. Neosolii 1876.
Schmidt-Herrling, El.: Die Briefsammlung des Nürnberger Arztes Christoph Jacob Trew (1695—1769) in der Universitätsbibliothek Erlangen. Erlangen 1940.
Schrötter, Friedrich: Wörterbuch der Münzkunde. Berlin 1970[2].
Seidler, Gregor Leopold: Politické názory staroveku a stredoveku. Bratislava 1965.
Sklenár, Georgius: Origo et genealogia illustris Battyaniorum gentis. Posonii 1778.
Schrödl = Geschichte der evangelischen Kirchengemeinde A. B. zu Pozsony—Pressburg von Josef Schrödl und anderen. Übers. von Johann Pfeifer. I—II. Pozsony 1906.
Szabó Károly—Hellebrant Árpád: Régi Magyar Könyvtár, III. 1. Budapest 1896.
Szilasi Klára: Stöckel Lénárd Zsuzsanna drámája és a bártfai német iskolai színjáték a XVI. században. Budapest 1918.
Szinnyei József: Magyar írók élete és munkái, 1—14. Budapest 1891—1914.
Vantuch, Anton: Ján Sambucus. Život a dielo renesančného učenca. Bratislava, 1975.
Varga, Ladislaus: Quibusnam cum viris doctissimis Europae Sambucus coniunctiones litterarias inierit? In: Acta Universitatis Debreceniensis de Ludovico Kossuth nominatae, series historica, III (1967), pp. 99—115.

Vehse, Eduard: Geschichte des östreichischen Hofs und Adels der östreichischen Diplomatie. Hamburg 1851.
Verancsics Antal összes munkái. 7–8. Ed. Szalay László, Wenczel Gusztáv, Pest 1859. (Monumenta Hungariae Historica 19–20.)
Veress Endre: Berzeviczy Márton (1538–1596). Budapest 1911.
Id.: Matricula et acta Hungarorum in universitatibus Italiae studentium, I–II. Budapest 1915–1917.
Wallaszky, Paulus: Conspectus reipublicae litterariae in Hungaria ab initiis Regni ad nostra usque tempora delineatus. Budae 1808.
Walther, Hans: Carmina medii aevi posteriora Latina. Proverbia et sententiae, V. Göttingen 1967.
Werner, Jacob: Lateinische Sprichwörter. Heidelberg 1912.
Weszprémi, Stephanus: Succincta medicorum Hungariae et Transylvaniae biographia. Centuriae 1–3. Lipsiae–Viennae 1774–1787.

# Pars I.

# GEORGII PURKIRCHERI CARMINA

# I. ⟨AD LECTOREM⟩

Susanne tentant castum violare pudorem
  bini cum magna sedulitate senes.
Virgineum retinet tamen inviolata pudorem,
  nec prece, nec duris flectitur ipsa minis,
et Deus ipse sui lapidandam voce prophetae
  liberat, actorum prodit et arte dolos.
In tantis nunc est ecclesia maesta periclis;
  hanc duo sollicitant commaculare senes.
Impius hic papa est, est latro Thurcicus alter,
  heu mihi, qua miseram calliditate petunt!
Sed Deus hanc patrio defendens semper amore,
  fulmineo turpes destruet ense senes.
Haec tibi Stokhelii nativo Musa decore
  dicet et in lucem, lector amice, dabit.

# II. LIBER SAPIENTIAE SALOMONIS

## 1. Inclyto Pannoniae et Boiemiae regi, archiduci Austriae etc., Max⟨imo⟩ Aemyliano, domino suo clementissimo magister Georgius Purkircher Pisoniensis salutem dicit

Ut Daniel varia res multas arte propheta
  pingat, et haec arbor picta docere potest.
In media teneras arbor regione sub auras
  nata stat umbriferis conspicienda iubis.
Alta sub aethereo stellas attingit Olympo,
  hoc coelum fulcro mobile stare putes.

12 destruet, testruet

Lata sub extensis omnes complectitur umbris
fines, istius quos locus orbis habet.
Est et crassa nimis Borea nec flante movetur,
incutit huic nullum saeva procella metum.
Ramos diffundit numeroso flore virentes,
omnia qui dulci gratus odore replet.
Fructus mille parit, ramos incurvat onustos
fructibus et teneros frangere possit onus.
Sed sua damna timens substernit fulcra colonus
atque suam ramis fert studiosus opem.
Postea maturus gratos habet ille sapores
fructus et est cunctis nobilis esca viris.
Hos quotquot viridi serpunt animalia terra,
sub patula fructus arbore semper edunt.
Ad canis ardentem cum Sol divertitur orbem
et calida siccam lampade torret humum,
aestu ne pereant, animalia cuncta sub umbris
arboris in dulci strata quiete iacent.
In ramis modulantur aves, certare canendo
et doctum videas has resonare melos.
Nidos a tenui suspendunt vimine castos
et sobolem mira sedulitate creant.
Progenitae gratas mater studiosa cohorti
affert, quas arbor protulit ista, dapes.
E nido sobolem genitor producit et, auras
ut pennis valeat quaeque secare, docet.
Praecinit et patrium carmen demonstrat et artem,
qua vox iucundis sit varianda modis.
Mirantur volucres patrem, mirantur et artem,
harmoniae cunctas dulcis et urit amor.
Tentant, auditum num possint reddere carmen,
quae melius, certant iudice patre, canat.
Denique quod vitae sentit spiracula, ab ista
arbore, quo vitae munera servet, habet.
Haec arbor regem studiose picta benignum
denotat, ut Daniel saepe propheta monet.
Legibus armatus sese rex ornat et armis,
divinae semper dogmata legis amat.
Haec etiam toto, curat, recitentur in orbe
imperii, iusta quem ratione premit.
Exequitur poenas, quas mens aeterna minatur,
et scelerum iusto destruit ense reos.
Praemia distribuit cunctis, qui sponte sequuntur
gaudentes summi tradita verba Dei.

Pacis amans pacem iustis sibi comparat armis
sedulus et partae foedera sancta colit.
Tunc homines recreant dulci sua membra sub umbra,
arboreis nutriunt corpora fessa cibis.
Bellorum saevos armis rex impedit aestus
et belli prohibet vis generosa luem.
In ramis ut nutrit aves et protegit arbor,
sic doctis nequeunt regna carere viris.
Hi sua cantando consumunt tempora vitae
et neque consuetum fit grave munus onus.
Erudiunt teneram vera pietate iuventam,
quae sint pro tota posteritate, docent.
Grata Deo sancta resonant praeconia voce
lingua Dei laudes ingeniosa canit.
Hos rex ingenti celebris virtute tuetur,
sub ramis tales ludere gaudet aves.
Muneribus pulchras doctrinae promovet artes
et sua virtuti praemia digna locat.
Saepe feris Aquilae rostris Philomela necatur,
nulla movent animum carmina docta ferum.
Sic quoque crudeles oderunt saepe tyranni
Pieridum doctos ex Helicone choros.
Regia praedantes non servat dextra volucres
nec foliis mutas arbor obumbrat aves.
Protegit et caetum, cui sunt terrestria curae,
et plebem summa rex pietate fovet.
Militiae claro multos exornat honore,
qui pia pro patriae bella salute gerunt.
Ut sua pacificus curvo proscindat aratro
rusticus, in patrio quae tenet arva solo,
hoc pax sola facit, iustis quam regia bellis
non sine multiplici dextra labore parit.
Currat ut extremos avidus mercator ad Indos
et sua de varia commoda merce ferat,
haec regis quoque cuncta manus in pace gubernant.
Nescio, qua pacis munera laude canam.
Arboris has omnes merito tibi, Maxime, laudes
divinum tribuunt, Aemyliane, decus.
Coelica supremi cognoscis verba parentis,
cognita sunt vitae regula certa tuae.
Tu patris aeternum cum nato et flamine numen
unum, sint quamvis nomina trina, colis.
Unica ʽυφιστάμενοι tres sunt essentia sanctus
spiritus aeterno cum genitore λόγος.

Terrestris sanctas ita regni flectis habenas,
ut tua coelestis rex quoque iura probet.
Utilis in toto floret concordia regno,
una fides, unus relligionis amor.
Armorum rapidos armis tu discutis aestus,
bella, sit ut tota pax regione, geris.
Sub ramis volucres magna pietate sonoras
protegis et doctum fructibus agmen alis.
Cum Philomela sonos arguta voce colorat,
ars est in parva maxima, dicis, ave.
Ingens in gracili miraris corpore robur
et volucrem plenam simplicitatis amas.
Sic quoque Pavo suis, volucris Saturnia, donis
exhilarat mentem, rex generose, tuam.
Istius in rutilo mirandas pectore dotes
finxit et hanc nunquam non Deus ornat avem.
Pavo, tuas caudae stellantes aspice pennas,
quas Argi dederant lumina mille tibi.
Hermes incautum telis occiderat Argum,
Hermetes, Pavo, nunc fuge, tutus eris.
Te Deus ipse tegit, regi quia pulchra ministras
dona, tuas animi qui veneratur opes.
Pfauseri quoties te concio docta Sebasti
attentum magna sedulitate tenet?
Denique te pietas semper comitatur, in umbra
et tua florenti regna fovere studes.
Sola tuas laudes totum Fabiana per orbem,
a Fabiis celebris nomine ferre potest.
Illam tu patrio curas clementer amore,
a patria differt regia cura nihil.
Illa tuos patitur semper tibi subdita frenos
atque tua gaudet se bonitate regi.
Haec quot habet celsas, quot propugnacula, turres,
ardua quot pariter moenia, valla tenet?
Pyramidum summa Memphis quid mole superbit,
aut quae Chaldaicae laus Babylonis erit?
Unica tot laudum titulos Fabiana meretur,
ornans Austriacum, pulchra corona, solum.
Alta stat aethereas turris producta sub auras,
humanae mirum sedulitatis opus.
Hanc quicunque videt, supremi culmen Olympi
hac quasi defessum mole sedere putat.
Singula quid referam, nil non laudabile veris
laudibus in tota largiter urbe vides.

Prima Remus saltu transgressus maenia Romae
fraterna risit condita valla manu.
Postea florentem si forte redisset in urbem,
perdomiti summum cum caput orbis erat,
attonitus spectasset opes, spectasset honores,
instabilis mirans plurima dona Deae.
Vix novisset opus fraterno sanguine tinctum
Romulus. Haec ne mea est dicere Roma queat?
Sic Fabius si nunc Fabianae spectet honores
et videat magnas conditor urbis opes,
admirans referat, quantum distabat ab ista
urbs, isto fuerat quae mihi facta loco.
Miretur validas, et propugnacula, turres,
quae viridis Fabio condita cespes erant,
unde sit et tantis ornata potentia donis,
unde novus multum venerit auctus honos.
Sic humiles crevisse casas gauderet, in altas
vilia miretur tecta abiisse domos.
Aurea nunc, olim limo congesta videret
templa, suos retinent quae modo, ut ante, deos.
Incola cur Christi, miretur, numen honoret,
cur non Romanus regnet ubique Deus.
Tanta vel autori pariat miracula regis
urbs, quoque divini gloria magna sui.
Ista tuas celebrat veras urbs, Maxime, laudes
ac animi constans, Aemyliane, decus.
Urbs quoque, Pisonis quae nomine clara triumphat,
te colit et meritis est minor ipsa tuis.
Alluit hanc, Austri qua sentit parte procellas,
Ister, in Aeoas qui fluit inde plagas.
Arcis in excelso lucent fastigia monte,
qua Sol occiduas arduus intrat aquas.
Hanc si, vera loquor, penitus qui viderit arcem,
dicet eam Martis belligerantis opus.
Haec, quasi Tarpeias imitans, capitolia, sedes,
imposuit summis maenia Piso iugis.
Aurea nunc, olim sylvestribus horrida dumis,
vix quoque Pisoni culmina nota forent.
Arctoum qui deinde latus spectabit ad urbem
vitiferum cernet non sine laude solum.
Italicas Pisone satas hic crescere vites
ex nimia vini nobilitate puto.
Qua Sol exoriens currus producit ab undis,
cum pratis virides conspiciuntur agri.

Mutua delectat iunctos concordia cives,
quos Deus et regis gratia diva regit.
Mireris sanctum Romano more senatum,
curia Romano nil nisi iure facit.
Consulis urbanas dirimit sententia causas,
iudicis est primus, consulis alter honos.
Romanus cur hic, rogitas, non luceat ordo?
Multa vetustatis talia mutat onus.
Haec quoque Pierides colit urbs studiosa sorores,
his etiam quamvis parvula sacra facit.
Sub foliis rarae volucres sua carmina psallunt,
sola canunt summo carmina grata Deo.
Has me cogit amor patriae describere laudes,
urbs mihi nascendi praebuit illa locum.
Parvulus in prima discens elementa iuventa
pars patriae fueram quantulacunque scholae.
Fama fuit quanto vocis Philomela decore
Albis ad infidi tarda fluenta canat.
Fama movet iuvenem, tacitus proficiscor ad Albim,
quos Philomela canit, miror et ipse sonos.
Auditas imitor num possim reddere voces
et cantare pari dexteritate queam.
Hoc inconditum tibi, rex iustissime, carmen
offero, maiores nunc negat hortus opes.
Est etiam parvis dulcis sua gratia donis,
nostra Deo quamvis munera parva placent.
Non femur humani, non brachia corporis optat,
gaudet at in parvo ludere corde Deus.
Quo minor est soboles, magis est dilecta parenti,
hac pater et patrius tempora fallit avus.
Hoc igitur placido carmen, precor, accipe vultu
atque meis studiis, nam potes, affer opem.
Regia, crede mihi, res est succurrere Musis,
ne pius illarum cesset in orbe labor.
Ecce vides, quantis Ecclesia maesta procellis
ante tuos supplex stet lacerata pedes.
Hanc fera pontificum rabies, hanc caede tyranni,
illitus hanc Stygio felle sophistae premunt.
Moses cum charae pendet genitricis ab ulnis
parvulus, hostili lege necandus erat,
mater arundineum lacrymis linit et pice corbem,
ne facile rapidis pervius esset aquis.
Collocat huc tenerum, post oscula plurima, germen,
addidit et multas relligiosa preces.

Postea cum viridi corbem posuisset in ulva,
hinc abit et nato dixit, at aegra, vale.
Quantis vimineo tectus sub corbe periclis
Moses a propria matre relictus erat!
Et nunc sub lacero latitans ecclesia corbe,
undique quae metuat, tanta pericla videt.
Attamen ut Pharaone satam tunc ipse puellam
incitat, est Mosen quae miserata, Deus.
sic quoque maesta pios aliquos ecclesia reges
nunc videt et placita saepe iuvatur ope.
Ut studiis tenerae sint dedita corda iuventae,
a cunctis supplex regibus ipsa petit.
Nil sine doctrinae studiis ecclesia crescit,
quae capit ex sanctis commoda magna scholis.
Anchora sis igitur studiis, rex inclyte, nostris,
tu mea clementer navita vela tegas!
Te Deus incolumem iusto cum patre gubernet,
qui pius imperii nunc pia sceptra tenet.
Conservet teneram celebri cum coniuge prolem,
regalem belli servet ab igne domum.
Tu λόγε, gnate Dei, sanctos, precor, aspice reges,
his facias verbo pectora munda tuo.
Spiritus illorum sanctus pia caepta gubernet
et radiis foveat regia corda suis.
Impediat Satanae fraudes et caepta, potentes
quae regum turbant insidiosa thronos.
Regia cur tanto conatur sceptra labore
perdere, multiplici noxius arte Satan?
Imperium summa coeli cum quaereret arce,
hunc Deus in Stygias praecipitavit aquas.
Nunc odio suprema Dei petit, omnia regum
conatur Stygia perdere sceptra manu.
Sed Deus ut coelis hunc acrem depulit hostem
et Stygis aeternum ferre coegit onus,
sic quoque nunc Satanam contra defendere cunctos
reges, qui sua sunt organa sancta, potest.

## 2. Argumentum libri Sapientiae

Maternis immota docet nos credere verbis
regula, quam nostros sparsit natura per artus,
quam Deus in primos homines transfudit, at illi
in reliquos diva transfundunt arte nepotes.

Et scelus est matri non assentire loquenti
natum. Crede mihi, res est fidissima mater.
Sic pia, quae gignit sanctos, ecclesia, foetus,
nobis aeterni verbum pro lacte parentis
tradit et infirmos materno curat amore.
Haec igitur reverenter amo, quae sentit et astans
audio fallacem nec eam reor esse novercam.
Eius et in parvis quae sit sententia rebus,
quaero, pias imitor, quas reddit consona, voces.
Hunc Philo composuit, testatur ut ipsa, libellum,
maxima qui fuerat Iudaeae gloria gentis,
sedulus et vero coelestem fovit amore
doctrinam, coeli quae nos deducit in arcem.
Haec etiam quasi certa sequar suffragia matris
nec de re nihili Centaurica bella movebo.
   Cur Solomonis habet nomen liber iste potentis?
Illius haec manibus cur fingunt scripta? Tyrannis
omnia scripta vides magnis in orbe monarchis,
talia qui rident fastu praecepta profano,
si quis in abiecta scripsisset plebe, vel ipsa
haec quoque voce sonet. Dominantes splendida reges
nomina sola movent. Reges regalia curant.
Ventosis gratum nil est nec habetur in aulis,
sit nisi res magnis titulis fucata, potenti
et pompam solo quae nomina gignat inanem.
Hunc igitur Solomon fertur scripsisse libellum,
cuius in immenso remanet sapientia mundo
cognita, bellaces haec ut maiore tyranni
relligione legant et vel Solomonis amore
haec perlecta colant et verum numen honorent.
Sic, Ptolemaee, tuo multis es calcar ad artes
nomine, quae coeli motus profitentur et astra.
Alfonsi stolidam nomen regale iuventam
incitat et dulcem cunctis inspirat amorem,
ut varios discant concordi lege meatus,
quos coeli stupidis offert mortalibus axis.
   Saepius hoc toto quid vox sapientia libro
obvia significat? Totum sapientia verbum
significat, quo se Deus hoc patefecit in orbe.
Naturae quid enim lex est? Sapientia veri
est aeterna Dei, divino in pectore lucens,
quam Deus immensi flammis compulsus amoris
angelicum summa sparsit bonitate per agmen.
Haec et in humanam transfudit munera mentem,

in qua vera Dei, ceu Sol, rutilabat imago,
anteaquam Satanae lethali fraude profundis
turpiter et foedis est obscurata tenebris.
Attamen et lapsum post lex repetita sonabat.
Tunc coelum magno completum murmure saeva
fulgura cum tonitru, rapidos miscebat et imbres.
Ignavas sonitu terrebant fulmina mentes,
postea ne faciles summi praecepta parentis
rumpant nec Satanae patulas quis praebeat aures.
Et ceu flamma Deus fuerat conspectus, ut omnes
liberet a diro, quo pectora nostra veneno
frigida reddiderat Stygius crudeliter anguis.
Et coelum et coeli dominum compellit ad iram
peccati rabies, cur nos non odimus illam?
Sic Euangelii verbum sapientia dici
summa potest, nostrae quae non rationis in hortis
nascitur, humanae res est nec cognita menti.
Hanc Christus summi conformis imago parentis
nos docet et totum spargit clementer in orbem.
Hinc etiam λόγος est dictus, quia vera per illum
aeterni patris est nobis patefacta voluntas.
Sic etiam Solomon sapientes nominat omnes,
verba Dei vero qui complectuntur amore,
nuncupat eccontra stultos, qui coelica rident,
quae Deus ipse suo sanxit decreta senatu.
Num quae causa, rogas, fuerit satis aequa Philoni,
scribat ut hunc tanto mentis fervore libellum?
Roma suo totum pugnax subiecerat orbem
imperio, validas Iudaeae iam quoque vires
fregerat et timidam diuturnis vicerat armis.
Imperii summas Caius flectebat habenas,
cui caligae nomen dederant; hic caecus iniqua
ambitione Iovis tribui sibi iussit honores
Iuppiter et dici voluit Latialis, in illo,
qui Latium solus praesenti flore gubernet.
Hic quoque confictum Solymas transmisit in urbem
numen et in templi divina sede locavit,
in qua nulla Deus voluit conficta videri
numina, ceu Satanam quae detestatur et odit.
Praeterea Caium Romana semper in aula
imbuerant odiis multi, ne parceret unquam
Iudaicae, quae sit mundi fex pessima, genti.
Appion, Aegypti quem protulit ora tyranum,
ut fax in magnas stomachantem contulit iras,

opprimat ut gentem Iuda, quae vicerit omnes
reges et nunquam bello superata quiescat,
libertatis amans, pugnax, truculenta, rebellis.
Nunc quoque posteritas tua multis regnat in aulis,
Appion, ad domini qui se componere vultus
norunt et sanctis lethalia retia tendunt.
Tunc Philo Romanam festinans venit in urbem,
Caesaris accensam supplex placaret ut iram.
Totius et gentis patriae communis amore
susceptam Caio proponens ordine causam,
idolum sancta tolli de sede petebat
ac ut Iudaeos Romano more gubernet,
parcat subiectis, domitos sit mitis in hostes.
Sed Caius surdis non exaudire querelas
auribus expositas voluit nec leniit ullum
impietatis onus, quod gens Iudaea molestum
senserat et multos aegre iam gesserat annos.
Et nunc Romana non exauditur in aula
idoli varias patiens ecclesia formas.
Spe Philo frustratus Latia discedit ab urbe.
Ingressus patriae turbato pectore fines,
quae sint acta, suis exponit civibus, unam
divinam cunctis dicit restare salutem.
Coelestem promittit opem, quia nulla supersit
vis hominum, tanto quae sit medicina dolori.
Mens erat in luctu misere concussa Philoni,
sed prior in timidi rediit praecordia virtus.
Tentat opus, librum iusta componit in ira,
ut fieret miseris aliquod solamen et omnes
erigat, in nimio quos tunc moerore videbat.
Quae morum levitas, animi quae caeca cupido,
quae fortuna potens, quae sit mors faeda malorum,
prima docet libri pars huius et explicat ingens
in sanctis morum quam sit decus et pia mentis
consilia et quae sit fortunae tristis imago
omnibus, aeternae sint gaudia quanta salutis,
in qua tristitiae, laeti, sine labe quiescunt.
Alloquitur saevos etiam liber iste tyrannos,
ut reverenter ament alacres et amata sequantur
verba Dei, regum solus qui sceptra gubernat.
Damnat et immensum quae sunt idola per orbem,
quae Deus ipse suo prohibet faedissima verbo
et graviter poenis omnes exercet, inani
qui pietate colunt haec et quasi numen honorant.

Ultima pars poenas Aegypti narrat, in omnes
quae quoque coelestis mittentur numinis hostes.
Sicut et Hebraeos saevas Deus ipse per undas
duxit et in sterili clemens protexit eremo,
sic Deus, auxilium cunctis afferre paratus,
omnes immerita quoque nos bonitate tuetur.
Appion hinc poterat linguam didicisse loquacem
frenare, Aegypti poenas ne gustet amaras.
Haec liber iste docet, quem nostri temporis aetas
ultima cognoscat; saevos habet illa tyrannos,
qui sua iustorum pascunt furiosa cruore
corpora nec poenas curant, quas verba minantur
coelica, sanctorum rident quasi barbara verba,
saepius expositas gemitu maiore querelas.
Audaci fingunt hilares idola furore.
Has habet in mundo turpes ecclesia pestes.
Haec dum forte vides, sanctae pietatis alumne,
iniusti nil esse diu perpende nec unquam
est felix, inimica Deo, sapientia regum.
Tacta vel exiguo tenuis nubecula sole
solvitur et faciles subito discedit in auras.
Sic quoscunque Dei manifestos videris hostes,
hi velut umbra ruent. Spes est medicina doloris.
Nec diuturna manent, quae nunc idola furentes
pontifices tristi vel vi, vel fraude tuentur.
Tu λόγε, gnate Dei, saevos compesce tyrannos,
corrige quos sentit tristes ecclesia morbos,
pontificum rabiem varias et destrue fraudes.
Turcarum florens cur te patiente tyrannis
saevit in infirmum, verbo quod pascis, ovile?
Quin hanc praecipitem Stygias demittis ad undas?
Destrue grandiloquo fallaces ore sophistas,
pascua qui tectis corrumpunt nostra venenis
atque tui sancti tacite sunt nominis hostes,
ore ferunt pacem, sed praelia corde minantur.
Iusta tui miseros nos corripit ira parentis.
Nil nisi culpa sumus, sed nostrum, Christe, reatum
tollis et accensam transfers in te patris iram,
nostra tuo mundas clemens peccata cruore,
et nos haeredes coelesti reddis in aula.
Christe, veni, magnos ecclesia moesta dolores
sentit et aegra tui flagrat venientis amore.

## 3. Caput I.

Imperii sanctas quotquot tractatis habenas,
iusticiae vestro pectore flagret amor.
Iusticiam, moniti, coelestem discite, reges,
qui geritis vestra regia sceptra manu.
Publica si dederint insuaves munia casus,
aut parient magnum saeva pericla metum,
auxilium domini memores spectate paratum
et metuat vero quisque timore Deum.
Nam Deus, ingenua quaesitus mente, per auras
advolat et gratam fert studiosus opem.
Praesens consiliis illos adiuvat et ornat,
quotquot fucatae nil pietatis habent.
Sed mala iudicio mentis decreta profanae
ante Deum nunquam sunt habitura locum.
Iusticiae violant multi venerabile nomen,
hoc sua ceu larva cum malefacta tegunt.
Sed meritae longo venientes agmine poenae,
omnia sub lucem corda dolosa ferent.
Tecta nec istorum pietas simulata manebit,
novit, quid toto fiat in orbe, Deus.
Ingreditur nunquam pravum sapientia pectus,
peccato iungi nec speciosa potest.
Spiritus ipse sacer quoniam, cui coelica curae
relligio, manibus numina sculpta fugit
nec corpus Stygia peccati mole gravatum
intrat, at ornatam gaudet habere domum.
Mundus munda petit. Si sit Deus incola nostri
corporis, heus, nunquam pollue corpus, homo.
Peccati fugiat turpem mens conscia pestem,
in scelus et nunquam ceu furiosa ruat.
Pollutas Satanam decet incoluisse cloacas,
sed Deus in puris vult habitare casis.
Obruet immundos peccati terror et istos
plectet et hoc poenae non leve fiet onus.
Coelica blasphemos gravibus sapientia poenis
torquet et accenso duriter igne premit.
Nam Deus humano clausos in pectore sensus
et, quae corde latent interiore, videt.
Omnia, quae lingua formantur verba loquaci,
scit Deus et posthac verba futura tenet.
Est domini virtus totum diffusa per orbem
eius et in toto spiritus orbe viget.

Et quem nulla latent verborum sibila, praesens,
omnia namque potest, cernit ubique Deus.
Proditur, occultas igitur qui seminat ore
fraudes (Ut facile est omnia scire Deo).
Sentiet aeterni poenas iniusta locutus
iudicis et facti praemia digna feret.
Hunc feriet graviter violentis poena sagittis,
tela suum tangent eiaculata scopum.
Impius ante Dei mentis concepta tribunal
dicet et in lucem, quae latuere, dabit,
ut scelerum meritas scelerato in corpore poenas
solvat et ad Stygias praecipitetur aquas.
Omnia Zelotes Deus alta percipit aure,
audit in abstrusis edita verba locis.
Cum blasphema Deum deridet turba nec iste
sarcasmus tenebris semper opertus erit.
Omnia sub lucem producet serior aetas
et faciet clara lucidiora die.
Displiceat cunctis semper blasphemia, nunquam
pectora blasphema sint rabiosa lue.
Nam quae tecta statim vicinam fertur in aurem,
haec etiam poenas est habitura suas.
Mendax namque suis occidit lingua venenis
ac animae mortem perniciosa parit.
Nemo suo maneat demens errore sepultus
nec caeca mortis vulnera mente petat.
Interitus et nemo sui sit causa nec ultro
accersat mortis tristia damna sibi,
corpora tabifico pereant ne nostra dolore.
Quot vitae fragilis pharmaca quaerit amor?
Ast animae veram praebens medicina salutem
negligitur, tantas nemo requirit opes.
Nec Deus est, rapidam mortem qui condidit, autor,
ut nec peccati condidit ipse luem.
Peccatum primus Satanas invexit in orbem
et cum peccato mors quoque nata fuit.
Nec mors nostra Deo placuit, nec adhuc placet unquam,
nec gaudet nostris, iurat ut ipse, malis.
Ista Deus, toto quae cernis in orbe, creavit,
vivere valde suum gaudet et autor opus.
Et bona sunt, quaecunque suo Deus ore creavit,
cum bonus est, nunquam dat mala dona, Deus.
Noxia nulla Deus, quae sint nocitura, potenti
condidit et condet postea nulla manu.

Iusticiae primi si semper dona parentes
fovissent, nullis commaculata malis,
nil nisi perpetuae sensissent vera salutis
gaudia nec mortis staret in orbe thronus.
Terrea nec Stygios habuisset machina portus,
peccati rabies quos violenta parit.
Impia turba dies noctes contendit et omnes,
turpia blasphemo gutture verba sonat
quae facit, illa Dei prohibentur et omnia verbo,
quaerit et infernas impietate domos.
Mortem blandiciis sibi mox devincit et arcto
mutua amicitiae foedere iura colit.
Illius horrendam gaudens descendit in aulam
mortis et adiunctae dulcia castra petunt.
Haud indigna quidem tanto scelerata sodali,
cum quo perpetui baiulet ignis onus.

## 4. Caput II.

Barbara turba suo sic crebrius ore loquuntur:
Vita quid est? Dolor est et breve curriculum.
Ut bove mactato sanguis vehit organa vitae
ac anima effuso sanguine vecta perit,
sic homo vitali postquam discedit ab aura,
fit nihil, hac vita nil abeunte manet.
Tartareos et adhuc expertus nemo dolores
inferni miserum significavit onus.
Nascimur ut temere, temere sic advolat hora
ultima, quae cunctos nil, velut ante, facit.
Quis Deus ista regat? Non est Deus ullus. Inanis
fama Dei pueris est metuenda malis.
Spiritus exiguas qui nasi perfluit oras,
fumus ut, in rutila lampade natus, abit.
Et sermo tanquam gliscens scintillula, nostro
corde, per aethereos transvolat, orta, polos.
Hac pereunte cadit moles quoque corporis ingens
et perit, ut calido nata favilla rogo.
Atque animae fluidas mox dissolvuntur in auras,
aer ut a vento corripiente cadit.
Nil remanet, nomen clarorum cessat avorum,
posteritas nostri nec meminisse potest.
Ut nubes subita coelo depellitur aura,
ut retinet certum nec diuturna locum,

exiguo sic nostra mali vel flamine vita
   interit et certas non habet illa vices.
Ut nebula aurorae rutilanti luce triumphans
   exiguo solis laesa calore perit,
sic humana levi laceratur vita calore,
   una parit tristem saepius hora necem.
Umbra sumus, pereunt cuncti reditusque sub auras
   vitales nulli Ditis ab arce datur.
Mors sua custodit robustis ostia valvis,
   quae reditum cunctis inviolata negant.
Nunc agite et genium curemus, cuncta redundant,
   quae poterunt nostram sumta iuvare gulam.
Utatur tenera, dum floret, quisque iuventa,
   aetas tristitiae nil iuvenilis amat.
Nectaris electo repleantur nostra liquore
   corpora, divino sunt ea digna mero.
Spumantes pateras glabrum siccemus ad unguem!
   Commoda quae, si non, vina, bibantur, habent?
Balsama deliciis adsint quoque regia nostris,
   regius est nostro corpore dignus odor.
Ungite balsameo iuveniles rore lacertos,
   ut cyathos agili dexteritate levent.
Vere novo varios quos fundit terra colores,
   hi quoque laetantis sint nova causa gregis.
Nectite iam roseas bene olenti flore coronas,
   ne rosa, nunc iuvenis, squallida fiat anus.
Omnia luxurient inflato quilibet ore,
   exhibeat fastus publica signa sui.
Quisque sua dignum statuat virtute trophaeum
   plura bibens, merito, pocula, victor erit.
Sic locus ipse feret, sint qualia nostra per orbem
   gaudia. Nil nobis laetius orbis habet.
Quid nobis Croesi, si non conceditur uti,
   innumerae praestent utilitatis opes?
Divitias nemo locupletem Ditis in aulam
   auferet. Est nobis ditior ille Deus.
Hoc igitur, dum nostra viret iuvenilior aetas,
   perdamus, nostrae quod peperere manus.
Quis sua multiplici bona conquisita labore
   haeredum manibus diripienda dabit?
Stulta decet stultos talis peritura voluptas,
   nos ipsi nostras dilapidemus opes.

49 bene olenti, benevolenti

Pauperis expositas observet nemo querelas,
cui Deus et pietas semper in ore sonat.
Quid nobis viduae? Canae quid verba senectae?
Qui volet his iuvenis parcere, nullus erit.
Importuna senes nobis dum iurgia promunt,
quis referat cano, dic tua verba cani.
Quod libet, hoc licitum, stabili quasi lege, sequamur,
omnia quis faciat, nil nisi iusta facit.
Cui non sola placet, nisi sub ratione voluntas,
non bene nobiscum consociandus erit.
Insidias iusto lethali fraude struamus,
tendite per cunctas retia tecta vias,
ipse suis quoniam verbis nos torquet et ingens
esse voluptatis vult iuvenilis onus.
Ut censor rigido nos omnes gutture mordens
nil est, quod iusta laude probare queat.
Increpat et leges cunctas violare fatetur,
ullius impositum nos neque ferre iugum.
Quae nobis placuere notat, mox crimen in ipso,
quod placet, audacter dicit inesse malum.
Iactitat et se nosse Deum, se semper amore,
ut patrem, vero dicit amare, Deum.
Et quae forte suo tacito quis pectore volvit
consilia, haec quoque sunt pessima, stultus ait.
Hunc ne ferat saevum iuvenilis vita tyrannum?
Gaudia sub rigido iudice nulla forent.
Occidat, indignus, quem tellus gestet, et altus,
dignus, cui radios Sol neget ipse suos.
Non bene conveniunt nostro cum more vieti
mores, quos aetas postulat illa, senis.
Quantum coelesti tellus removetur ab axe,
aut Stygius coeli distat ab orbe lacus,
tantum dicta senis queruli vel formula morum
distat et a iuvenum more reiecta iacet.
Nos odit si quae facimus, mox illa fugaci
poplite, sint tanquam stercora crassa, fugit.
Praedicat et quanto pius est ornandus honore,
qui post hanc vitam, nescio quando, datur.
Innumeras hilari proclamat gutture laudes,
sit quia dilectus filius ipse Dei.
Nunc exploremus, vero num consona tantum
dicat? An ex tristi gaudia morte ferat?
Experiamur, idem tristi num morte necandus
clamitat? An pietas, seria, visa fuit?

Si Deus huic pater est, salvum servabit eundem,
auxilium nato dextra paterna feret.
Nullius hostiles poterunt hunc laedere vires,
ipse Deo semper vindice tutus erit.
Derisi variis oneremus brachia poenis,
sub cruce se pietas monstret ut ista magis.
Nec lateat tacito patientia tecta sepulchro,
quae, nisi sit nimio pressa dolore, latet.
Si nova crudelis faceret tormenta Perillus,
tristius et tauro si quoque fingat opus,
Hos pius, ingentes sint quantumcunque, dolores,
et poenae insolitum commeruisset onus.
Tunc pia, si varie laceratus, verba loquetur,
prodet se fictam non habuisse fidem.
Talia conclamant, quo sint errore sepulti
nec cernunt oculis, turba profana, suis.
Iudicium domini nunquam meditantur, in ipsis
namque gerunt tetris corda sepulta malis.
Hos spes nulla movet, quod praemia multa sequentur
illos, qui vitam cum pietate regunt.
Contemnunt stolidis verbis petulanter honores,
quos anima a tristi crimine tuta feret.
Nam Deus ut primum lutea de mole parentem
finxit, et ex costa foemina nata foret,
monstrat eis medio lignum quod stabat in horto,
ne quis, ait, fructis arboris huius edat.
Si quis edet, mortem non evitabit amaram
et magnum parient mala comesta malum.
Inde vides hominem vitam debere perennem
vivere, sic hominem condidit ipse Deus.
Primus, imago Dei fuerat conformis, Adamus,
ac in eo virtus fulserat ipsa Dei.
Talis et humanum totum genus esset imago,
peccati rabies ni scelerata foret.
Invidus, humano generi crudelia mortis
inflixit, Stygia, vulnera, fraude, Satan.
Haec etiam, Satanae qui castra profana sequuntur,
per sua, quae spargunt, impia verba parant.

## 5. Caput III.

Iustorum Deus ipse animas fovet ulla nec extant
tormina, quae laetae postea ferre queant.
Impius observat mortem si forte piorum,
omnes perpetua morte perire putat.
Hos durum statuit miseros intrare dolorem,
hos quoque pestiferum quaerere dicit onus,
cum tamen aeterna donati pace quiescant
et mala, quae possint laedere, nulla sciant.
Donec in hac vita retinentur carcere tristes,
saepe quidem varias sustinuere cruces,
certa tamen miseros spes consolatur iniquae
mortis se nunquam posse perire manu.
Exiguum patiuntur onus, sed magna vicissim
commoda perpetuo tempore firma ferent.
Hos Deus explorat studioso, crede, labore
istorumque sibi pectora fida videt.
In flammis rutilum veluti quis iudicat aurum,
sic probat imposita sub cruce corda Deus
iustaque laetanti recipit mox pectora vultu;
est pia mens summo victima grata Deo.
Cum Deus his tribuet iustos opulenter honores,
ut vaga fulgebunt stella sub axe poli.
Flamma per albentes veluti discurrit aristas,
sic super iniustos agmina iusta ruent.
Iura dabunt cunctis regnantes gentibus, omnes
imperio populos non pereunte regent.
Et super hos etiam dominus regnabit in aevum,
quotquot eum vera cum pietate colunt.
In dominum toto qui fidunt pectore, firmam
agnoscunt domini crescere semper opem.
Constanti dominum sic qui venerantur amore,
hos quoque constanti semper amore tegit.
Et si castra petunt illos hostilia, nunquam
his sinit hostiles promtus obesse minas.
Munera, divini sanctos comitantur honores,
hos Deus et semper qui miseretur, amat.
Electos oculis clemens observat acutis,
ne premat hos variis vis inimica dolis.
Impia quaesitis plectentur pectora poenis,
quas metuunt. Poenas nunciat ipse metus,

2 queant, quant

iustorum quoniam non respexere querelas
instabilique Deum relligione colunt.
Qui virgam reiicit, quas et sapientia laudes
praebet, an hic unquam, nescio, clarus erit.
Prudentum pariter monitus risere. Per omnes
quilibet infelix cogitur esse dies.
Irrita spes omnis, vani cunctique labores
et nil, quae faciunt, utilitatis habent.
Coniugii socias quas elegere pudicas,
sunt fatuae, soboles hinc scelerata venit.
Omnia, quae parient vitales forte sub auras,
haec execrandis sint maledicta modis.
Et bene sit sterili, quae mundo pectore foedum
effugit precibus vique coacta thorum.
Digna pudicitiae summi ducis ante tribunal
praemia supremo iudice dante feret.
Et cui foecundum non contigit esse cubile,
cuius iusticiam dextera semper amat,
qui tacito, dominum contra, nec pectore quidquam
cogitat, huic fidei non leve munus erit.
In templum domini veniet, mox incola tantam
magnificam poterit castus habere domum.
Virtutem quoniam magni comitantur honores,
praemia digna suo quisque labore capit.
Inclyta perpetuos sapientia floret in annos,
ullis corrumpi nescit et ipsa modis.
Turpis adulterii conceptus crimine nullum
successum rebus sentiet esse suis.
Illicito quicunque thoro venere sub auras,
mox sine longaeva posteritate ruent.
Et licet in numeros salvi videantur in annos,
parcet eis tardo non tamen ense furor.
Illorum nullo florebit honore senectus,
ullus erit rugae nec senioris honor.
Matura si morte cadent, spes nulla peremptos
erigit et luctus causa perennis erit,
iusticiae quoniam manifestos auferet hostes
turpis et horrendis mors onerata malis.
Pulchrius est castum nullam genuisse iuventam,
perpetuas laudes tale meretur opus.
Hoc Deus ipse suo coelestis praedicat ore,
hoc hominum toto laudat in orbe genus.
Castaque virtutis plures exempla sequuntur,
nemo frui tanto munere velle negat.

Quisque pudicitiae lauri de fronde coronas
gestat et has casti dona laboris habet.
Impia consertos quos gignit turba nepotes,
omni, qua prosint, utilitate carent.
Lenonum turpi qui sunt in fornice nati,
nunquam longaevo tempore stare queunt.
Planta velut moritur radice avulsa virenti,
haec mala sic nullo tempore turba manet.
Ut licet in putrido virides stent stipide frondes,
hae tamen atroci turbine stante cadent,
praecoces stolida frangentur in arbore rami,
nec fructus unquam proferet ipsa bonos,
austerum referent comedenti poma saporem,
hinc sua nulla ferox lucra colonus habet,
sic haec turba brevem vivet meretricia vitam
et sine laude suos transiget aegra dies.
Impia concubitu vetito generata propago,
index ceu, patrium seminat ore scelus.
Haec mala, quae patior, dicit, peccata parentum,
et poenas eadem commeruere graves.
Natorum natos et qui nascentur ab illis
punit, si fuerint impia turba, Deus.

## 6. Caput IV.

Saepius in viridi iustum sua fata iuventa
morsve sua celeri pallida falce rapit,
non tamen aeternam rapuit mors atra quietem,
post sua quae iusto tristia fata datur.
(Quid rugosa suis annis onerata senectus,
quid iuvat innumeros vivere posse dies?
Sola facit dignam sapientia laude senectam,
ipsa senem pietas immaculata facit.)
Magna Dei iustum comitatur gratia, summus
et Deus hunc patrio semper amore fovet.
Fertur et e tristi iustorum carcere mundo,
mundo, qui mundi nil nisi nomen habet.
Deserit et turbam pro veris falsa sequentem,
cui suus est furiis mens agitata, Deus,
ne quoque multorum vestigia prava secutus
impia doctrinae dogmata coecus amet.
Nam mala virtutes laedunt exempla modestas
moribus et semper sunt inimica bonis.

Saepius invitans animos damnosa voluptas,
   candida praecipiti pectora fraude capit.
Hic citius plenos annorum venit ad orbes,
   nam Deus hunc vero fovit amore virum.
Evocat hunc igitur mundi de carcere laetum,
   possit ut a cunctis tutior esse malis.
Haec vel nemo videt, vel rident visa profani,
   istos sanctorum funera nulla movent.
Nec plebs caeca videt, quod coelica gratia sanctos
   et Deus hos patria sedulitate tegat,
quodque suos oculis istos observet acutis,
   his mala ne possint ulla nocere cavet.
Iustus vitalem moriens cum deserit auram,
   plus quam viva Deo turba profana placet,
et iuvenis veri retinens oracula verbi
   excellit faedos impietate senes.
Finem conspiciunt omnes sapientis in orbe,
   causa, Deus cur hunc auferat, ista latet.
Cur dominus tueatur eum, quid cogitet illi
   tradere, dementi pectore nemo videt.
Quae sunt visa, sua nequaquam mente volutant,
   cuncta sed ignavo pectore visa ferunt.
Nam Deus hos ridet cunctos et plena pudore
   cogentur mortis tormina saeva pati.
Hos Deus incautos omnes evertet et ipse
   corruet, in quo sunt agmina prava, locus.
Funditus et tota generis cum stirpe peribunt,
   arbor ceu viridi prava secatur humo.
Ingentes perferre cruces cogentur, avorum
   nomina cum turpi posteritate cadent.
Conscia gestabunt scelerum fera pectora tristes
   venturae nec spes ulla salutis erit.
Incutient magnum timidis peccata tremorem,
   tunc oculis scelerum conspicietur onus.
Culpa graves pariet poenas contraria, cunctos
   culpa Deo faciet iudice saeva reos.

## 7. Caput V.

Tunc sua iusticiae studiosus gaudia centum,
   quae quoque sunt finem non habitura, feret.
Tunc, sibi qui nocuere, suos crudeliter hostes
   ante Dei tristes proferet ipse thronum.

Haec est carnificum, dicet, scelerata caterva,
quae sibi multiplicis causa doloris erat.
Ista meos monitus risit ceu turba profanos,
verbera, cum docui coelica verba, dabant.
His, postquam iusti spectabunt gaudia, magni
praemia iusticiae, causa stuporis erunt.
Unde quis huic unquam, dicent, largitus honores,
praemia cum tanta maxima laude dedit.
Mutua dispergent inter se verba dolentes
et gemitus imo pectore saepe trahent.
Hic erat ille, hilari, dicent, quem risimus ore,
ridiculum cunctis sicut ἄθυρμα fuit.
Illius stolido vitam damnavimus ore,
iudicii nulla quam ratione regat.
Mors ignominiosa fuit derisa, celebris,
in qua nullus erat conspiciendus honor.
Supremi nunc unde Dei fit natus et inter
sanctorum recipit praemia magna choros.
Nos igitur falso decepti tramite, verum
nemo fuit stabili crure secutus iter.
Iusticiae lumen nobis nec fulsit amicum,
nulla rubescentis munera solis erant.
Nos inter ignotum nullo ductore secuti
pro vera sequimur devia falsa via.
Sed domini nullus vestigia iusta videbat
regia nec miseris haec via nota fuit.
Quid nobis pompae, fulvum quid profuit aurum,
divitias comitans quo quoque fastus abit?
Irrita cuncta iacent et iam periere, remoti
corporis ut subito mobilis umbra perit.
Aut veluti clamor patulas qui praeterit aures,
sicut et in rapidis cymba movetur aquis.
Quae postquam celeri discessit gurgite, certae
nemo suo cernet lumine signa viae.
Aut veluti volucris vestigia nulla relinquens
aëra pennatis verberat acta rotis.
Transvolat et faciles alis cito disgregat auras,
imprimit his nullam mobilis ala notam.
Aut veluti nervo facilis dimissa sagitta,
afferat ut tacto praemia digna scopo.
Concidit ille statim, rursus quem disgregat aër,
signaque, quae maneant, nulla sagitta facit.
Sic ut materna geniti fueramus ab alvo,
ut mortis rapuit nos inimica manus.

Signa nec edebat quisquam virtutis, iniqua
   impietas miseros perdidit arte viros.
A Borea paleae veluti sparguntur inanes,
   sic, quae nostra fuit, spes diuturna perit.
Et veluti coelo tenuis resoluta pruina,
   multiplici gravius fulmine laesa cadit.
Sicut et ardentis veniens fornacis ab ore
   fumus, ventorum pondere ruptus abit.
Hospitis atque diem qui nostras incolit aedes,
   quam cito quis faciem non meminisse potest,
tam cito, quae lactat, spes impia corda peribit,
   fallitur augurio turba maligna suo.
Sed iustis sine fine manent sua gaudia, firmam
   mercedem vera pro pietate ferent.
His dominus pariter largitur praemia, summo
   omnia sunt curae pectora iusta Deo.
Accipient virides, et regia sceptra, coronas,
   omnia, quae domini dextera larga dabit.
Hos dominus dextra toto defendet in orbe
   ac Deus hos humeris proteget ipse suis.
Induet arma sui zelati plena furoris,
   quae dominum pietas sumere saepe iubet.
Arma creaturae totius colliget, hostes
   ut videant poenas, quas meruere, graves.
Iusticia pectus, stricto cava tempora iure
   muniet, iniustos quo periisse decet.
Sancto se clypeo medios immittet in hostes,
   quem nequeunt hamis rumpere tela suis.
Ensis erit vehemens qua cunctos conterit, ira,
   hunc acuit forti vibrat et ipse manu.
Haec etiam veniet divina ad classica mundus,
   cum Deus in stolidos bella movere volet.
Fulgura, stultorum pariter demissa per urbes,
   coelorum hostili semper ab orbe ruent,
sicut ab extenso telum protruditur arcu,
   avolat et celeres itque reditque vias.
Grandinis innumerae non expectata sequetur
   copia, cum tonitru quae nocitura venit.
Et maris ingenti cum tempestate procellae
   insurgent, nimiis terra natabit aquis.
Turbo suas vehemens quas gestit corpore vires
   exeret et stultis his inimicus erit.
Illorum stolidas lacerabit flando cohortes,
   vorticis occultos pellit ut ipse dolos.

## 8. Caput VI.

Iusticia si quando vacat, ruit undique regnum
et cum iusticia statque caditque thronus.
Dic mihi, quid summos evertat in orbe monarchas?
Impia, quam caeco, vita, furore colunt.
Auribus haec patulis, reges, audite, sub imos
pectoris haec abeant omnia verba sinus.
Et vos, iudicii quotquot pia frena tenetis,
hos etiam iustos aure notate sonos.
Imperio totum vobis qui subditis orbem,
discite, quae sancto pectore verba loquar.
Coelica vos geritis regnorum sceptra, potestas
regia nec vobis est sine parta Deo.
Vos igitur, quo quisque ruat, quid quisque sequatur,
quaerere et, an cunctos lex regat una, volet.
Ipse suos quoniam vobis commisit honores,
vos statuit regni lumina fida sui,
officium iusta sed nemo lege gubernat,
iusticiae nullus foedera sancta colit.
Quis praecepta Dei vestrum reverenda veretur?
Nemo Dei iusta vivere lege studet.
Ipsius ira brevi vehemens vos obruet omnes,
principibus poenae multiplicabit onus.
Consequitur veniam delicti ignobile vulgus,
cum leve sit, poenas dat quoque iure leves.
Quo quisque est maior, maiores ferre dolores
cogetur, magnos maxima poena premet.
Qui coelos et cuncta regit, nil stemmata magni
nominis aut clari principis arma timet.
Magnum cum minimo quoniam formavit et omnes
excelsa pariter protegit ipse manu.
Magnificos, iterum repeto, saevissima plectent
tormina, per saevos quae meruere dolos.
Heus, vos, crudeles nostro sermone tyrannos,
alloquor et vobis haec mea verba sonant.
Luceat in vestro sapientia pectore, tantum
discite, vera loquor, posse parare decus.
Aut vos aeterni consumens vindicis ira
obruet et poenas haec parat ira graves.
Qui fovet in sancto divini oracula verbi
pectore, sanctorum cum grege iunctus erit.
Divinas didicit quicunque fideliter artes,
praemia pro tanta maxima dote feret.

Aures ergo meis patulas expandite dictis
  et docili nostros sumite mente sonos!
Eminet insigni celebris sapientia forma,
  carpere quam nunquam foeda senecta potest.
Semper et aeternos sapientia durat in annos,
  turpe vetustatis florida nescit onus.
Conspicienda venit cunctis, quos novit, ab ipsis
  nec se fucato sentit amore coli.
Inventu facilis, si quis vestigia spectans,
  sollicitus tantum vult reperire bonum.
Obvia monstrata facie se prodit et ultro
  his, sua quos cupidos quarere dona videt.
Hanc cito quis cupiat, non magnos crede labores
  perferet et voti mox quoque compos erit.
Egreditur si forte domo, iam cernet in ipso,
  hanc expectantem limina stare Deam.
Serius et qui quaerit eam, sapientia nunquam
  talem deficiet non simulata virum.
Et vigili illius qui spectat lumine gressus,
  huic sine sollicito promta labore venit.
Undique per notas inquirit fessa plateas,
  quos possit donis nobilitare suis.
His semper blando tandem venit obvia vultu
  atque horum fixo lumine spectat iter.
Qui sanos monitus audit, sapientia prima
  huic sua virtutum semina nosse dedit.
Illius aeternos at qui meditatur honores,
  hic quoque se monitu fert meliore regi.
Consiliis patulas qui sanis porrigit aures,
  illius hic legum vincula grata feret.
Ast ubi conspicitur legum reverentia, vitae
  sanctae non melius pignus habere potes.
Sed quisquis sanctae sequitur vestigia vitae,
  iste Dei promtam semper habebit opem.
Si quibus ergo placet florens sapientia, magnos
  virtutum titulos, praemia magna, dabit.
In populo quicunque igitur diadema tyranni
  quaeritis aut clari nomina pulchra ducis,
unica vester amor maneat sapientia, nullo
  tempore quae poterunt, regna, perire dabit.
Quid sit et e quibus huc veniat sapientia terris,
  omnia, qua possum sedulitate, canam.
Maxima de tantis referam mysteria rebus,
  ambagum varios non adhibebo sonos.

Sedulus inquiram, veris monstrabo figuris,
illa sit ut cunctis postea nota viris.
Invida doctrinae caedat mens impia laudum,
quam sapiens tanquam dira venena fugit?
Ista nec in nostrum veniat foedissima corpus,
quae scio, sint toto cognita in orbe, volo.
Postquam laeta viret sapientum magna caterva,
non habet hoc melius machina tota bonum.
Corrigit in mundo turpes sapientia noevos,
tristibus et sapiens est medicina malis.
Rex quoque, qui regni sapienter flectit habenas,
omnibus in regno commoda multa parit.
Quilibet ergo meos vigilanti mente sequatur
sermones, veras vox mea praebet opes.

## 9. Caput VII.

Imperium mortis pariter me torquet ut omnes,
in lucem primi quos genuere patres.
Cum formandus eram charae genitricis in alvo,
prima mei liquidum pars rude semen erat.
Hinc menses natura decem me finxit et omnes
artus et vitae flamina mira dedit.
Mortalem postquam fueram prolatus in orbem,
aëra, pulmonum qui rigat ora, bibi.
Me quoque terra suis fuerat complexa lacertis,
omnes quae toto gestat in orbe viros.
Cum lacrymis velut et reliqui nascebar. Ut ista
incipit et finem vita dolore capit.
Me quoque panniculis mater studiosa fovebat,
fascia pro celebri sindone parva fuit.
Dissimili nunquam praestantes lege monarchas
nasci, quam vulgi corpora tarda putes.
Omnes nos simili vitales lege sub auras
fundimur ac omnes mors rapit una viros.
Ardentes cum saepe preces in corde moverem,
lux erat ingenii maxima facta mei.
Clamabam, dulcis mox se sapientia nostro
pectore cum donis condidit ipsa suis.
Haec mihi prae regum placuit formosa triumphis,
hanc mage quam lituos semper amabo ducum.
Divitias longe superat nec comparo magnas
illi, quas totus possidet orbis, opes.

Est melior gemmis, rutilantes luce smaragdi
sunt quasi, si cupiant hanc superare, lutum.
Vilior est auro vulgaris arena, sed aurum
vilius est istis, quae fovet ipsa bonis.
Argentum veluti coenum quis dixerit, illam
cum videt et vero vincit amore Deam.
Hanc magis ardenti sanum quam corpus amore
prosequar, hanc formo, prae bonitate colo.
Haec mea lux maneat, dixi, lux ista perennis
permanet extingui nec diuturna potest.
Innumeris comitata bonis veniebat et ingens
pondus magnarum dextra ferebat opum.
Semper laetus eram, quoniam sapientia laetum
me docuit nostros rexit et arte pedes.
Ignarus tamen, hac quis me pietate foveret,
nescio, quod tantis me iuvet ista bonis.
Hanc simplex didici, communico largius illam
huius et in laudes ingeniosus ero.
Me duce per totum vere celebrabitur orbem
illius et nunquam dissimulabo decus.
Est etenim constans et qui non corruet unquam
thesaurus, quales non habet orbis opes.
Hunc quicunque suos sapiens convertit ad usus,
iste Dei verus semper amicus erit.
Et Deus hunc redamat, quanto quia cernit amore,
iste suae legis dogmata sancta colat.
Ipse Deus nostro sapientes ore loquelas
indidit et tantas quaerere iussit opes.
Ipse docet, qua pulchra suos sapientia gressus
dirigat, et sapiens hoc duce certus erit.
Nos omnes nostris et verba sonantia linguis
subdita sunt nostra cum pietate Deo.
Huic subiecta iacet toto sapientia mundo
atque artes, totus quas vagus orbis habet.
Omnia me docuit veris agnoscere formis,
hinc scio, qua mundus conditus arte fuit.
Quas vires habeant elementa, quis exitus omnis
temporis et medium principiumque foret.
Cur aestasque dies productas, bruma minores
reddat, quas pariant tempora cuncta vices,
in sese facilis semper cur volvitur annus
et quid stellarum sistere possit equos.
Naturas varias animantum tradidit, acres
quae ventos moveat causa propinqua, docet.

Quae quoque sint mentes hominum, monstrabat et omnes
plantarum vires, semina nosse dedit.
Quas radix habeat laudes, quae commoda praestet
quilibet, ipse suo tradidit ore Deus.
Si quid et in summis latitaret forte speluncis,
hoc scio nec clam me quid latuisse potest.
Me quoniam docuit sapientia, quae quoque doctos
doctior excellit sola magistra viros.
Spiritus est in ea prudens sacer atque quietus,
qui varius, velox, acer et esse potest,
facundus, purus, lucens blandusque, benignus,
serius et liber, munificus, facilis,
munitus, firmus, securus, cuncta gubernans,
cuncta potest oculis ipse videre suis.
Hunc si quis purus, sapiens acerque, rebellis
spiritus hostili vult superare manu,
spiritus ille tamen, sapientia quem fovet, omnes
vincit et hostiles non timet iste minas.
Omnia nam celeri vincit sapientia cursu
mundaque per cunctas res agitata volat.
Ipsa Dei vapor est aeterno natus in ore
et lux aeterni pectore nata patris.
Immundum nihil est igitur, quod laedat eandem,
aeternae quoniam lumina lucis habet.
Est speculum referens ficti sine labe coloris,
quantus virtutum sit Deus ipse chorus.
Quanta Deus bonitas, quae lux, quae summa potestas,
monstrat et, aeterni quae sit imago Dei.
Haec quales fuimus, quales erimusque vicissim
et quae peccati sint mala foeda, docet.
Sola manet semper, tamen omnia perficit, una
atque eadem cunctas res renovare solet.
Sanctorum multas animas ingressa, propinquos
atque Deo vates ingeniosa facit.
Nam quem sola virum sapientia vera gubernat,
hic fruitur veri solus amore Dei.
Splendidus incessus Divae, quam praedico, lumen
splendidius stellis et quoque sole parit.
Hanc si contulerit quisquam cum luce diurna,
haec potius caeco iudice lumen erit.
Namque per umbrosam lux cedit perdita noctem,
noctis in obscuras cogitur ire domos.
Sed nihil est a quo sapientia vincitur unquam,
conterit ut fictum corda maligna lutum.

Magnificas totum vires extendit in orbem
et bene commissum sedula curat onus.

## 10. Caput VIII.

Hanc puer ex humero pendens genitricis amabam,
hanc sponsae volui semper habere loco.
Huius forma meis divina placebat ocellis,
semper ut in pulcris gratia maior inest.
Huic genus antiquum, summo quia iuncta parenti
semper adest, summi pendet ab ore Dei.
Et Deus hanc patria ceu natam mente tuetur,
est quia naturae pars aliquanta suae.
Agnitio quos vera Dei delectat, ad illam
currant, haec facile, quae voluere, dabit.
Quae Deus ipse facit, sapientia cuncta gubernat,
ipsa Dei flectit, quod meditatur, opus.
Divitias toto cum quis corradit in orbe,
an non se magnas res peperisse putat?
Maiores tamen addit opes sapientia. Dives
non sit, cum mundi sola creavit opes?
Sed si doctrinae titulis haec vita superbit,
hac quoque quid tandem doctius esse potest?
Iusticiae si forte iuvat cognoscere fontes,
haec tua sit, videas, sola magistra tibi,
virtutis quoniam semper vestigia spectat,
censura mores et meliore regit,
haec tibi iusticiam mentis cum robore iunctam
et quoque doctrinae munera firma dabit.
His hominum nec vita bonis quid pulchrius unquam
nec pariat, quod plus utilitatis, habet.
Si quem de variis iuvat inquisitio rebus,
haec tibi cum factis cuncta futura feret.
Verborum vide ipsa dolos, aenigmata docto
solvere, quae quisquam dixerit, ore potest.
Signa tibi dicet venturae aetatis et ipsa
temporis exacte vera minuta tenet.
Saepius hanc tacita solus ratione putabam
dignam, quae sociae sit mihi iuncta loco.
Nam scio, consiliis quantum mihi prosit, et omnem
tristitiam laeta quam quoque voce fuget.
Hac iuvenis gaudens populum delectat et annis
hunc ornant curvi semper honore senes.

Stricta feret nostrum semper mea iura tribunal
et validis magni causa stuporis ero.
Regia si nullas fundet mea lingua loquelas,
attendent, si quae dicere verba velim.
Si loquar, attento stabit mox quilibet ore
et mea sollicito pectore verba petent.
Et si continuo dicam sermone, stupentes
claudent, ne quidquam, dum loquor, ora sonent.
Immortale meum totum durabit in aevum
nomen, id haec etiam muneris ergo dedit.
Et mea posteritas memori me laude coronans
pro meritis nomen tollet in astra meum.
Imperio populos frenabo, plurima nostras
gens etiam leges subdita ferre volet.
Ad mea crudeles tremebundi verba tyranni
stabunt, his pariet vox quoque nostra metum.
Parco meis populis, debello fortiter istos,
quos pacis nunquam vincula ferre scio.
Sed si sum patrio conclusus limine, dulci
me facit haec semper posse quiete frui.
Haec quoniam coniuncta viris, non taedia, tantum
gaudia cum magna commoditate parit.
Saepius ista mea volvebam mente, sub imo
pectore sunt digitis ista notata meis.
Huic etenim vero quisquis sociatur amore,
falcigerae mortis vulnera nulla feret.
Quisquis amicitiae vinclis huic iungitur, ille
integra laetitiae munera semper habet.
Illius et quaecunque manus operantur, abunde
divitias amplas et sine fine parant.
Huius colloquium suave et consortia multos
prudentis faciunt pectoris esse viros.
Nunc igitur variis illam perscrutor in oris,
ut coniuncta mihi semper adesse queat.
Indolis ipse puer fueram praestantis et ampla
lux animae fuerat conciliata mihi.
Postea sollicita nutritus lege parentum
mox vitam maculis cerno carere meam.
Sed tandem cum certus eram, nunquam quod honestos
mores absque Dei quis didicisset ope.
(Illud et esse Dei donum, sapientia tantum
me docuit, mentis docta magistra meae.)
Ad domini supplex accessi protinus aram
fudit et ex imo pectore lingua preces.

## 11. Caput IX.

Qui quoque nostrorum fueras spes certa parentum,
cuius opus tantum sunt bona cuncta, Deus,
omnia qui verbi subita virtute creasti
ac hominem sapiens ars tua finxit opus,
huius et imperio quidquid spaciosa tenebat
machina, divina subiicis ipse manu,
sanctus ut et toto, mandas, et iustus in orbe
praesit et unisono iudicet ore viros,
te precor, in nostram veniat sapientia mentem,
ante tuum semper conspicienda thronum.
Sim quoque pars sobolis, vero te nata parente,
haeredes inter sim quoque fama tuos.
Esse tuum servum nosti me semper et inter
natos ancillae iudicor esse tuae.
Infirmus quoque sum, fateor, paucosque superstes
vix possim duri temporis esse dies.
Iusticiae fontes, legum sententia, tardo,
longe sunt captu lucidiora meo.
Etsi perfectas hominum quis noverit omnes
artes, nil tamen hic se didicisse sciat,
hunc nisi pulchra suis ornet sapientia donis,
unquam quae nulli te prohibente datur.
Regia sceptra mihi scio te misisse, per omnem
ut populum teneam publica frena tuum.
Iudicis et fueram nactus te dante tribunal,
ne tua post careat iudicis ore domus.
Aedificem, mandas, summi fastigia templi,
quae montem deceant splendidiora tuum.
Ac altare iubes tibi me fundare, quod urbis
sanctae perpetuus nobile fiat honos.
Optas hoc simili fieri quoque posse figura,
arca velut quondam docta parata fuit,
quam quondam nostros iussisti condere patres,
quo fuerit dicens aedificanda modo.
Tunc tibi iuncta fuit sapientia, sola gubernans,
omne, quod aeterno pectore fingis, opus.
Haec tecum fuerat, cum fundamenta locares
mundi, quae placeant et tibi, sola videt.
Indicat a cunctis, quid lex divina requirat
et quanto feriat poena furore reos.
Hanc, Deus, e sancti demittas culmine coeli,
talia tu solus mittere dona potes.

Ista tuo demissa throno me curet ubique
et mecum vitae pondera cuncta ferat,
ut videam, tibi quae placeant. Haec sola magistra
cuncta scit ac animo percipit ista suo.
Haec quasi norma meos observet sola labores
et, si quod faciam, mox tueatur, opus.
Me virtute sua fragilem munita potenti,
hostili quando si premar ense, tegat.
Hac mea facta tibi semper rectrice placebunt
iustior et regni splendida frena regam.
Et sic dignus ero, patrii cui dentur honores,
filius et patrio stemmata more geram.
Consilium quis nosse Dei se dicit in orbe?
Quid Deus, an poterit dicere lingua, velit?
Errores quoniam mortalia nostra gubernant
pectora, nil certi mens tenebrosa fovet.
Et mentem nimia corpus mortale fatigat
mole nec in coeli tecta videre sinit.
Et casa terrestri primum de mole creata,
plurima sub tacito pectore sensa premit.
Vix terrena licet nobis cognoscere, nostris
mens etiam manibus vix capienda videt.
Ergo quis, in coelo quae sunt inclusa, videbit?
Quis poterit mentis dicere sensa tuae?
Te nisi dante iuvet talem sapientia, sanctus
spiritus e summis missus et ipse polis.
Sic via, coelestem quae nos deducit in arcem,
dulcis et ascensus pervia mollis erit.
Ac homines poterunt, tua quae sit firma voluntas,
discere et huic semper consona facta sequi.
Et dabit aeternae sapientia dona salutis
cunctis, te verum qui coluere Deum.

## 12. Caput X.

Haec etiam primum defendit sola parentem,
qui pater immensae posteritatis erat.
Hunc, postquam Stygiis culpae solvisset habenis,
legit, ut imperio cuncta creata premat.
Impius hanc odiis cum perturbatus iniquis
deserit, interitus est sibi causa sui.
Fraterno quoniam furiosus sanguine dextram
polluit. Humanus fit grave sanguis onus.

Tunc quoque semper erat praesens sapientia, foedis
cum mala diluvii terra periret aquis.
Iustum turbatis medium servabat in undis
illius et fragili puppe regebat iter.
Cum gentes pariter variis erroribus actae
condebant, coelum quo caperetur, opus,
impia pendentes animis idola colebant,
nullus erat verae relligionis honos.
Interea iusto sese coniunxit et illi
integra iusticiae dogmata nosse dedit.
Huc animi robur magnum largitur, ad aram
tristia cum voluit sacra parare pater.
Unus ei natus fuerat, pater arripit unum,
cessit amor nati victus amore Dei.
Una tenet gladium, natum manus altera servat,
astat et accensus maxima flamma rogus.
Patria iam mortem nato robusta minatur
dextra, patri robur tunc animosa dedit.
Iustum cum coelo venientem fugerat ignem,
exitium quinis urbibus ipsa fovet.
Impia turba sui poenas sensere furoris,
omnia sunt flammis depopulata feris.
Nunc quoque terra suum spirat tunc perdita fumum,
nunc etiam insipidas parturit arbor opes.
Nunc salis in coelos remanens erecta columna
pergit de spreta credulitate queri.
Nam quos delectat nunquam sapientia, multum
illis hanc vere non coluisse nocet.
Et quoque posteritas illorum facta videbit,
omnibus illorum notus et error erit.
Eripit eccontra cunctis sapientia damnis,
quotquot eam vera cum pietate colunt.
Haec, Iacobe, tuos direxit sedula gressus,
cum fratris fugeres ora severa tui.
Ipsa Dei regnum patefecit, semina sanctae
huic quoque doctrinae dulcia nosse dedit.
Saepe tuos iuvit susceptos illa labores,
illa tuas praesens largiter auxit opes.
Astitit ipsa tibi tunc, cum deceptus iniquis
fraudibus a merita parte movendus eras.
Mox quoque, ne timeas, te solabatur, acerbos
hostes, quos graviter velle nocere videt.
Tunc cum mirando certares ipse duello,
ista tuas docuit vincere sola manus.

Sic scis, e reliquis quod praestantissima rebus
sit pietas cunctis anteferenda bonis.
Qui male fraterno fuerat venundatus ore,
auxilium misero prorsus et illa tulit.
Peccati telis, cavit, ne concidat unquam,
carceris huic pariter iuncta subibat onus.
Est comitata virum robusto compede vinctum,
hic etiam placitam promta ferebat opem.
Postea regales huic impetravit honores,
regales titulos, regia sceptra dedit.
A quibus iniustam fuerat vim passus, eorum,
fecit, ut imperio colla superba premat.
A quibus inventis fuerat delatus iniquis,
prodidit illorum verba carere fide.
Huic bona, perpetuis donis opulenta triumphans,
quae nunquam finem sunt habitura, dedit.
Illius Aegypti tandem regione propago
fortunae quod non triste subivit onus?
Ipsa sed insontem tristi de carcere turbam
traxit et in Canaan regna beata tulit.
Est ingressa statim domini studiosa ministrum,
restitit et regum per sua signa dolis.
Praemia sanctorum divisit sedula, fidus
ut dux insuetum sola docebat iter.
Grata die nubes fuerat, quae flammea solis
tela suo poterat sustinuisse gelu.
Lucida nocta fuit praecedens flamma, remotas
sedula monstrabat, ceu Cynosura, vias.
Per mare, per cursus hos tutos duxit aquarum,
mersit at in medio castra inimica mari.
Hostes incautos fallax absorpsit abyssus,
quae fuerat turbae semita plana tuae.
Impia tunc passim reproborum terga cadebant,
iustis hinc praedae copia magna fuit.
Inde tuum nomen, sancte, coluere nec ullum
te sine dicebant vincere posse, Deus.
Tunc mutis linguas sapientia iuncta disertas
fecit et infantes splendidiora loqui.

## 13. Caput XI.

Consiliis populi ducebat castra prophetae,
haec fuit in vastis et comitata iugis.
Turba per incultam tentoria fixit eremum
et sic hostiles sustinuere minas.
Ac inimicorum dignas pro crimine poenas
vindice gaudebant accumulare manu.
Guttura rauca siti, rauca te voce vocabant
dulcis et ex alta rupe fluebat aqua.
His immensa sitim sedabat petra. Quis illo
marmore tam gratas esse putabat opes?
Hostibus ingentem quae commovere dolorem
et querulis fuerant exitiosa malis,
ista tuae fuerant exoptatissima turbae,
semper cum placita mixta salute, Deus.
Cum rex, Niliacis qui sceptra tenebat in agris,
iusserat Hebraea perdere gente satos,
flumina sanguineo currebant plena cruore,
haec tunc grassantis poena furoris erat.
Hostes terrentur facto, tua turba triumphat
et fontes numero tunc potiore videt.
Illorum rabiosa sitis testatur, in hostes
quam tua sit vehemens impetus ira tuos.
Cum materna tui sensissent verbera virgae,
istos et patrium mite premebat onus,
agnoscunt, quo turba cadat scelerata furore
et quantis fuerit dillacerata malis.
Hos patria semper, pater ut, pietate monebas,
horum saepe tibi vita probata fuit.
Ludicra saepe tuis dederas certamina turbis
militis, ostendunt praelia falsa fidem.
Ut rex istorum pressisti terga severis
poenis, terra tui plena furoris erat.
Absentes eadem quae praesentem ira premebat
omnes et duplices sustinuere cruces.
Mox gemitus imo ducebant pectore crebros,
quod passi fuerant, cum meminere, mali.
Cum sua damna vident reliquis prodesse, stupenti
esse Dei tantum mente fatentur opus.
Antea quem vario lacerabant scommate iustum,
cui spreto variis imposuere modis,
postea defixis hunc demirantur ocellis,
praemia iustorum cum manifesta vident.

Attoniti, cur non eadem, mirantur, et ipsis,
  quae iustis, fuerit gutture nata sitis.
Sic cum decepti falsa pietate colebant
  vermes et turpes nomine reque feras,
mox illis vermes et bruta animalia mittis,
  quae cunctis fuerant exitiosa, Deus,
ut memori videant divinam pectore legem,
  in qua iusticiae semina vera micant.
Per quod peccamus, per idem nos poena cruentos
  reddit et infligit vulnera saeva malum.
Semine qui peccat, poenas in semine cernet,
  qui spoliat, paulo post spoliandus erit.
Qua mundum informi totum de mole creasti,
  nunc etiam posses plura creare manu.
Ursos tunc poteras saevos rapidosve leones
  mittere, qui cunctos in regione vorent,
aut nova, quae nullis sunt nota animalia terris,
  mobilis ex quorum gutture flamma volat,
aut quorum splendet fumans ex ore caminus,
  aut quibus ex oculis ignea tela micant,
quae sine contactu, tantum vix visa, necarent
  ac timidis pariant tristia damna viris.
Haec quoque si desint, solus contenderet illos
  spiritus, e sancto quem iacis ore, Deus.
Aut tua vindictae sentirent tela, vel illa,
  qua praestas, poterant occubuisse manu.
Omnia sed certo numero, ratione modoque
  et quae sunt iusto pondere iuncta, facis.
Non tibi praestantes desunt in corpore vires,
  maxima divinae robora mentis habes.
Nemo tuis manibus felici Marte resistet,
  est gravis iratum res habuisse Deum,
ante tuum quoniam totus, Deus, inclyte, vultum
  mundus ut in libra lingula parva tremit.
Et perit, aethereo tanquam ros orbe solutus,
  cuius in arentem guttula fertur humum.
Sed cito te miseret cunctorum cuncta tenentem
  nec poenae semper corripis igne reum,
ut melior verae discat praecepta salutis
  et veram cupidus quaerat ad astra viam.
Omnia constanti servas protector amore
  atque tuum patria mente tueris opus.
Nam nihil exorsus fueras et nulla creasti,
  quae fierent odii causa creata novi.

Quid stabili firmum tandem ratione maneret,
ni tua det certum patria cura locum?
Quid superesse potest, nisi tu quoque rexeris illud?
Nulla Deum contra res diuturna manet.
Omnibus ipse tamen parcis. Num laedere posses
illos, qui vera te pietate colunt?
Est curae tibi verae salus, pia corda tueris,
quae tuus aeternus spiritus ipse colit.

## 14. Caput XII.

Non igitur duro castigas verbere lapsos,
qui lapsu incauti deteriore ruunt,
et sua, quae fuerint homini, peccata recenses
et, quae conversis sint fugienda, mones,
ut sic peccati rigidis solvantur habenis
et domino tota fidere mente sciant.
Turba tui iustas poenas scelerata furoris
sensit, quae Canaan prima metebat agros.
Namque tuae legi contraria facta patrabant
et magicos coluit turba profana dolos.
Iratus quoties nostros ad praelia patres
pellis et ad pugnam classica sancta canis,
fortiter ut tota cultus regione profanos
et sacra coelesti voce relicta levent,
excidant cunctos, quotquot, sua viscera, natos
mactant ac hominum mortua membra vorant
et sua membra rigant humano sicca cruore
atque Deo sese sic placuisse putant.
Patres maiori grandes aetate trucidant
infantum summa relligione gregem
et sic incauti totius semina regni
perdunt et patriae sunt mala damna suae.
Sic tua non magno superavit turba labore
terram, qua melius nil vagus orbis habet.
Haec peccata tuam poterant accendere mentem,
te tamen his hominum parcere cogit amor.
Pro gladiis vespas mittis, quae cuncta per istud
perdant aestivo tempore nata solum.
Impia tu quamvis potuisses castra potenti
omnia sanctorum tunc superare manu,
bestia crudelis cunctos quoque iussa vorasset,
vel verbo poteras frangere cuncta tuo,

sed mora vindictae placuit tibi, tempus ut esset,
quo possint veras rursus amare vias.
Tu licet illorum mores et prava sciebas,
pectora consuetis inveterata malis,
impietas nulla fuerat medicabilis arte,
ars mala naturae tollere nulla potest.
Semper adhuc primis maledictum semen ab annis,
totius absumtae posteritatis erat.
Illorum quoque si mitis peccata remittas,
nullius est unquam vis metuenda tibi.
Tu quid enim facias, stulta quis voce rogabit?
Quis tua iudicii carpere iura volet?
Quis te culpabit, quia tu, quas ante creasti
gentes, coelesti conteris ense, Deus?
Aut quia iusticiae saevos tua perdidit hostes
dextera, de tanta caede quis ultor erit?
Te praeter, nullus Deus est, qui cuncta gubernas,
et tuus est, iusti iudicis omen, amor.
Nec rex, nec saevus poterit mutare tyrannus
poenas, coelestis quas parit ira, graves.
Iusticiae metas igitur quia diligis aequas,
imperio iusto subdita cuncta premis
indignumque Deo statuis, si quos tua saevis
insontes Stygiis dextera tradat aquis.
Nam tua iusticiam virtus animosa clientem
sumit et illius sedula curat opes.
Cuncta tuas toto leges reverentur in orbe,
quam tua sit mitis gratia, cuncta vident.
Imperio cunctos premere et quoque parcere cunctis,
mens tua cum dulci scit variare vice.
Nam quibus ante fuit virtus tua ludus, in illis,
virtutis dederas maxima signa tuae.
Et quorum imbuerat stultas audacia mentes,
cum maris expansas ingrediuntur aquas.
Tunc sensere tui pondus lethale furoris,
quae sit et adversum res habuisse Deum.
Interea patria nos omnes mente gubernas,
iram saepe soles dissimulare tuam.
Saepius et meritas differs immittere poenas,
immeritos magna nos bonitate regis.
Cuncta tuae possunt, quae vult aeterna voluntas,
vires optatis disposuisse modis.

50 est, ect

Ista tuum virtus populum conspecta monebat,
ut tua iusticiae munera sancta colant,
alterius faciles discant ignoscere culpae,
ira suas metas exitialis amet.
Et tua dextra tuae sobolis mox vellicat aurem,
ut firmae teneant coelica dona spei.
Illum cui veros gignunt peccata dolores,
ducis in angelici gaudia magna chori,
cum sua magna fide laceratus vulnera curat
ac fidei sancta mente tuetur opes.
Mitis in hostiles fuerat tua poena cohortes
et tua tarda reos obruit ira viros.
His etiam spatium dederas, quo tetra relinquant
crimina, quae legi sunt inimica tuae.
Quo magis ardenti sobolem pietate gubernas,
cui Deus et verus crederis esse pater?
Horum multa patres tecum pepigere, perennis,
foedera, amicitiae dulcia signa tuae.
Tu quoties nostros iratus corripis hostes,
multa tuis toties grata futura mones,
ut tua per totum bonitas sit notior orbem,
dulcis et ista tuae sit quoque plebis amor.
Si premeret nostros tristis fortuna lacertos,
nostra tuam constans spes meditetur opem.
Iniusti fuerant turpem sine mente secuti
vitam, quae scelerum plena cloaca fuit,
atque haec poena fuit scelerati plena furoris
vita. Sui mens est impia causa mali.
Tanto stultitiae fuerant errore sepulti,
ut turpes colerent turba maligna feras,
quas hostes manibus vel contrectare verentur,
turpia sunt magnis bruta timenda malis.
Ut pueri stulto mentis fervore coacti
errorum varias tunc habuere vias.
Hos igitur tanquam pueros tua poena tenellos
obruit et pueris ultio digna fuit.
Nam quas brutarum formas coluere ferarum,
istis post fuerant esca parata viris.
Hanc tamen ut tenuem cum derisere, cruentas
poenas irati mox subiere Dei.
Nam cui divinos dederant reverenter honores,
hos illis fuerat maxima causa mali.

Mens invita Deum didicit celebrare potentem,
antea quem voluit dicere nemo Deum.
Propterea meritos tandem sensere dolores,
tardior his gravius poena ferebat onus.

## 15. Caput XIII.

Omnes, vera Dei qui non novere parentis
verba Deum vera nec pietate colunt,
heu mihi, quam vanas gestant in corpore mentes!
Nec miseris quicquam vanius esse potest.
Saepe suis oculis totum conspecta per orbem
ignorant, cuius sunt fabricata manu.
Ex opere insignem nec mens perversa magistrum
quaerit, qui visum condidit autor opus.
Ignem vel ventos, faciles aut aëris, orbes,
aut coeli faciunt sidera clara deos,
aut fluvios, solis vel lunae lumen adorant,
quod sata mirando nostra calore fovet.
Horum forma viros ingens commovit et usus,
singula visa deos esse creata putant.
Cur non authorem mentes videre profanae,
cuncta sub imperio qui premit ista suo?
Illius aeternas debebant quaerere laudes,
quo magis hic dignus laudibus autor erit.
Quae sunt pulchra sua solus Deus invenit arte,
istius haec fuerant cuncta parata manu.
Singula quas habeant mirantur corpora vires,
motus in aethereo sideris orbe placet.
Perpetuos sol iungit equos et in axe fatigat,
luna sui centrum mobilis orbis amat.
Terra suos fructus solis calefacta calore
gignit, eam radiis humida luna rigat.
Et sic quaeque sua res utilitate superbit,
quae stolidis magni causa stuporis erat,
cur non, authoris sit quanta potentia, cernunt?
Quae vult, illa Dei coelica dextra facit.
Namque creata suum produnt speciosa magistrum,
praesentem referunt cuncta creata Deum.
Quamvis ista suam veniam quoque culpa meretur
nec fuerat tantis exagitanda minis.
Error enim multis vero pro numine falsum
et res divinas indicat esse Deum.

Nam postquam manibus res tractavere creatas,
  credula visa rei pectora forma capit.
Obfuit incautis visarum splendida rerum
  forma, levis stolidos decipit umbra viros.
Non tamen effugient turpi pro crimine poenas,
  error enim poenas impius omnes habet.
Magna creaturae siquidem praeconia visae,
  deberi merito pectora coeca putant,
cur magis autorem non quaesivere potentem,
  qui regit arbitrio cuncta creata suo?
Sed miseros illos et vivos morte sepultos,
  ista feret poenas impia turba graves.
Istorum spes nulla potest lenire dolores,
  turba graves poenas mortua, viva, dabit.
Ut quis in obscuris mortis detentus habenis,
  Tartareum moesto pectore gestat onus,
nec spes ulla virum tanti medicina doloris
  erigit, ast nullam mortua praestat opem,
sic haec turba spei nil scit, nil sentiet unquam,
  cui parat artificis dextera gnava Deum.
Multos argentum, multos delectat et aurum,
  cui formas varias ars generosa dedit.
Plurima sic pecudum miratur turba figuras,
  aenea cum nullus spiritus ora riget.
Alter in antiquum demittens lumina saxum,
  hoc colit, hoc toto pectore numen amat.
Cum faber instructa celso de monte bipenni
  in viridem querci robora sternit humum,
sedulus intortos ramos praecidit inepta,
  num sit et e cunctis pars nocitura, videt.
Deinde opus ex trunco certos conformat ad usus,
  quo scit se multos posse iuvare viros.
Relliquias, curvo quas demetit ense maritus,
  coniunx in calidos fert operosa focos,
cum studiosa suo dulci pro coniuge dulces
  apparat ingenti sedulitate cibos.
Postea curvatos varie converrere ramos
  incipit, ut quaestus hinc ferat ipse suos.
Et vacuus reliquis operis hos expolit omnes
  callide et in curvo robore fervet opus.
Induit huic hominis foedi brutive figuram,
  turpia purpureo ligna colore tegit.
Cum maculam cupido deprendit lumine, massam
  arripit et visum corrigit arte malum.

Postea conveniens huic instruit ipse cubile
atque trabi sculptam colligat arte trabem.
Munit et hunc truncum clavis. Ita totus in hoc est,
lignea ne moles pondere victa cadat.
Hanc etenim nunquam sese servare nec usquam
se, nisi mota foret, posse movere videt.
Lignea vel quonam se sculpta moveret imago,
artificis manibus sit nisi mota sui?
Ut coniunx valeat laeta cum prole domusque,
cum fundit crebras postea ab ore preces,
alloquitur truncum mens obcaecata carentem
viribus, ut vires praebeat, ipse colit.
Cui nihil est vitae, vitam dare sperat, et amplam
postulat, ut crebro mittat ineptus opem.
Quique pedem potuit nunquam movisse, per illum
accinctus laetum iam fore sperat iter.
Ut sua lucra paret, rogat, ut foveatur ab illo,
qui si rumpatur, nil habuisse potest.

## 16. Caput XIV.

Sic rate velivola qui per mare tendit, in amplis
fluctibus et saevum flatibus aequor arat,
procidit et lignum putridum reverenter adorat,
deterius prorae, quam vehit unda, trabe.
Institor hac victum peregrinis quaerit in oris,
autor et hanc magna fabricat arte ratem.
Hanc tua magna, Deus, prudentia servat in undis,
ista tuo semper numine tuta manet.
Nam quoque per pontum certos ostendere calles
et vada per Syrtes tuta docere soles.
Sic tua per totum fit nota potentia mundum,
quae mira, dum vult, arte iuvare potest.
Et sine pontigrada puppi quis transeat aequor,
quem tua coelesti dextra gubernat ope.
Sed tamen, ante tuo quae sunt extructa labore,
ut certa prosint utilitate, iubes.
Hinc homines fragili vitam committere ligno
audent et medium per mare classe ruunt.
Et tua magnanimos quondam cum dextra gigantes
perderet et rapidis terra periret aquis,
prora Noë tota cum posteritate per altum
incolumem longo tempore parva tulit.

Quam tu sollicito, ceu nauta, labore regebas,
hac hominum pereat ne pereunte genus.
Coelica tam pulchras circumdat gratia quercus,
officiis quae sunt organa grata piis.
Truncus at in Stygiae mergatur fonte paludis
ars quem sculptricis format iniqua manus.
Occidat et simili poenae gravitate magister,
cuius erat fictus conditus arte Deus.
Trunco namque Dei falso tribuuntur honores,
autorem merito poena cruenta premit.
Ligneus artificis pereat cum fraude colossus,
aeternum vero convenit esse Deo.
Nam Deus iniustos odit nec diligit unquam,
quod pariter faciunt insipienter, opus.
Poenas solvet opus, similes quoque solvet et autor,
huius ut alterius poena perennis erit.
Ethnica nunc igitur coelestes numina poenas,
numinis et sancti verbera iusta ferunt.
Ista creata Deo fuerant, his indidit autor
nomina et haec sese cuncta timere iubet.
Nunc Deus haec graviter fugit, execratur et odit,
omnia sunt summo res inimica Deo.
Duriter humanas affligunt pessima mentes,
incautus pariunt maxima damna viris.
Idolis pietas aeterno digna parente
laeditur. Est ingens laedere culpa Deum.
Alter in alterius thalamo deprensus honesto,
illicito castum laedit amore thorum.
Sic idola Deo pariunt conficta dolorem
atque sua multis impietate nocent.
Et qui fingendis his delectatur in orbe,
scandala quam multis exitiosa parit!
Nec primis fuerat confictum numen ab annis
turpe nec haec longos sunt habitura dies.
Ast hominum stulta sunt ambitione per amplum
mundum, ridiculis numina sparsa modis.
Est brevis et paucos hominum stat vita per annos,
numinis hinc falsi crescere coepit honos.
Immatura sui cum deflet funera nati,
aestuat et patrio plenus amore pater;
mox fingit statuam magno compulsus amore,
mortua quae nati membra referre potest.
Erectae cumulat divinos coecus honores,
illius in laudem victima multa cadit.

Haec exempla sequens tandem pro lege vetustas
accipit. Ut longo tempore facta placent.
Postea crudeles statuis divina tyranni
munera praestari relligiosa volunt.
Saepius occidunt homines, qui ferre recusant
foedum constantes impietatis onus.
Mortua sic homines hominis delevit imago,
in quibus aeterni lucet imago Dei.
Cum quis et absentis faciem exoptabat amici,
quem locus affari longior ore vetat,
hanc sibi depingi peregrinis curat in oris,
depictum summo servat honore caput.
Absentum fragilis regum sic gratia multos
impulit ad tantum perniciosa scelus.
Absentes ficto laudabant pectore reges
et simulata fides sicut imago fuit.
Sculptor et ipse suas operis dum quaerere laudes
nititur (ambitio crimina multa parit),
arte sua coecas hominum confirmat inani
mentes, dum statuae membra venusta facit.
Principibus placuisse viris qui forte volebat,
attento coeptum lumine sculpit opus.
Plebs vaga mentito formae decepta colore
regem non hominem sed putat esse Deum.
Noxius immensum sic error venit in orbem,
error multiplices gignit, ut arbor, opes.
Fortunae gratas cum quis non senserat auras,
si quibus aut regum gratia chara fuit,
mox ligno dederant divinum numen et ingens
immerito saxi pondus honore colunt.
Nec satis illud erat falsos effingere cultus,
notitiam veri nec didicisse Dei,
sed licet horrendis tenebris vixere sepulti
et magnis fuerant corda referta malis.
Attamen haec titulis ornabant pessima magnis
crimina et haec pacem tristia bella vocant.
Aut proprios saevis natos imponere flammis
audent, pro caprea victima natus erit,
aut turpes celebrant cultus, quos lingua veretur
dicere, vel multis crapula tetra placet.
Crapula tetra placet, non exaudita priorum
tempore nostrorum luxuriosa patrum.
Pollutos animi varios imitantur amores,
spernunt legitimi vincula sancta thori.

Alter in alterius crudelis viscera ferrum
condit et hoc mira palliat arte malum,
aut thalami castam conatur fraude sodalem
fallere, coniugii nec pia iura colit.
Caedes, furta, doli, sanguis, periuria, fraudes,
nulla fides, iustis mens inimica viris,
gratia nulla, nimis tenerae fera scandala pubis,
crimina, naturae quae quoque norma vetat.
Nec quoque verus honos coniuncti sanguinis, atrox
crimen adulterii, nullus in orbe pudor,
haec simul illorum latis dominantur in oris,
his tota gaudent in regione malis.
Nam vetitum cultu numen coluisse, per amplum
orbem, quae mala sunt cunque videnda, parit.
Et si forte dies festi celebrantur in urbe,
tunc omnes sana mente carere putes.
Dum numerosa canunt dubiis oracula linguis,
omnia nil veri, nil pietatis habent.
Nec sanctam vitae normam nec iura sequuntur,
periuri fidei vincula nulla colunt,
exanimi quoniam confidunt numine, poenis
quod nec periuros exagitare potest.
Sed duplicem summi portabunt iudicis iram:
et quia non verum tunc coluere Deum,
et quia periuras gestant in corpore mentes,
nec sancti quidquam, quod vereantur, habent.
Iniusti quoniam tristi quoque morte peribunt,
impietas finem cernet et iusta suum.
Periura si cogit opes plebs impia lingua,
tunc se nil toto laetius orbe putant,
impia sed magnos patietur turba dolores,
sentiet, aeterni quanta sit ira Dei.

## 17. Caput XV.

Tu Deus at, nostro colimus quem pectore, totus
suavis es et patiens et pietate potens.
Omnia clementi tibi credita iura gubernas,
peccantes etiam nos tua turba sumus.
Nostra tuas semper meditantur pectora vires,
his grave peccati nec dominatur onus.

6 onus, unus

Nam tua posteritas sumus et te nosse perennis
iusticiae cunctis munera sancta parat.
Et vires didicisse tuas est vera, beatos,
radix, quae profert fronde virente dies.
Nos hominum leviter neque tectae perdere fraudes,
ars neque pictoris fallere docta potest,
etsi multiplici statuam formare colore
conatur, vulgi qua capit ora levis.
Quos mala delectant, hi ficto numine gaudent,
mortuus his affert gaudia magna Deus.
Qui facit et factum cupide sceleratus honorat
hoc opus, hos mortis triste gravabit onus.
Argillam figulus mollem cum miscet, in omnes
usus polluto vasa labore facit.
Testas, quae mundos et faedos dantur in usus,
ex una terrae fingere parte solet.
Facta tamen certis discernit vasa figuris,
his uti varia commoditate potest.
Sed demens operam tunc prorsus sumit inanem,
dextera cum luteos fingit iniqua Deos.
Cum tamen hic luteus fuerit de pondere factus,
rursus et in fragilem dissoluetur humum.
Spiritus immissus tepidos cum deserit artus,
terra dat et cunctos devorat una viros.
Hunc operum nec cura movet, nec quod breve vitae
tempus habet, coeca mente videre potest,
sed superare studet fabros, quos aeris et auri
pondere disctinctum fingere vidit opus.
Quaerit et inde suas furioso pectore laudes,
arte novum poterit si reparare malum.
Quos tacitos falsa sensus in mente volutat,
sunt veluti facilis natus in igne cinis.
Illius et stultum quae spes sustentat inanis,
a ventis rapti pulveris instar habet.
Illud et hoc totum, quo vixit, tempus in orbe,
est veluti foedi sordida massa luti,
ignorat quoniam dominum, qui cuncta creavit
atque ipsi vitae munera prima dedit.
Spiritus, in luteo quem gestat corpore, nunquam
quod sit coelesti missus ab axe, putat.
Humanam stolido contemnunt pectore vitam,
ut ludis fieret dedita tota, volunt.

27 luteus, luteos

Sic hominum si quis gressus observet in orbe,
hos quasi mundineum iudicat esse forum.
Turpia lucra monent, per fasque nefasque paremus,
et qua quisque velit crescere fraude, sciat.
Cum luteo fictum formant e stercore numen,
quanta sit ista Deo res odiosa, vident.
Hostes, ecce, tuae sunt hi, Deus, aspice, turbae,
duriter hanc varia calliditate premunt.
Sed magis exiguo demens est turba puello,
numina qui vero ficta timore colunt.
Haec nequeunt oculis insignem cernere lucem,
aëra nec ficta volvere nare sciunt.
Aure sonos misera nequeunt haurire nec unquam
sentire exanimis dextera tacta potest.
Utilitas quoque nulla pedum, quibus aurea fulcent
numina, quae nusquam ni moveantur, eunt.
Haec mortalis homo quoniam conflavit, ab alto
organa qui vitae sumsit et ipse Deo.
Quod sit par homini, Deus et quoque fictile numen,
non est humanae sedulitatis opus.
Nam mortalis homo, mortis periturus avarae
cuspide, quae pariter sunt peritura, facit.
Et sic ipse suo melior fit numine. (Vivo
quis plus exanimum corpore corpus amet?)
Sic invisa colunt cunctis animalia, multum
omnia prae reliquis quae feritatis habent.
Horrida sunt, oculis pariunt conspecta timorem,
a vero fuerant et maledicta Deo.

## 18. Caput XVI.

Copia foedorum miseros inimica deorum
laesit et hoc poenae non leve pondus erat.
His pariter vermes saevi nocuere nec ullus
impius obliquo tutus ab hoste fuit.
Sed tua turba, Deus, semper te vindice tuta
dives erat magnis relligiosa bonis.
Turba coturnicum per vastam venit eremum,
cum sua nutriri corpora carne petunt.
Has, Deus, immissa satiatos carne monebas,
murmura ne posthac stulta movere velint,
nec temere stultos fallat damnosa voluptas,
coelica quam magno poena furore premit.

Sed quibus exiguo defecit tempore victus,
his novus fuerat dulcior esca cibus.
Insanos domuit fortis tua dextra tyrannos,
spes miseris certae nulla salutis erat.
Nec, Deus, auxilio coelesti moesta iuvabas
pectora, nemo tuam senserat aeger opem.
Ast tua plebs didicit poenis edocta paternis,
quam vehemens hostes obruat ira tuos.
Et tamen huic etiam nocuere animalia turbae
noxia, serpentes sensit et illa feros.
Saeva venenato faciebant vulnera dente,
quae multis fuerant exitiosa viris.
Ira sed exiguum tempus divina nocebat
poena nec immensum patria tempus amat.
Ut moniti summum discant celebrare parentem,
illius et quae sunt tradita verba colant,
aeneus his fuerat coluber suspensus ab alta
arbore supremo cuncta monente Deo.
Ille suam docuit per talia signa cohortem,
ne legis violent dogmata celsa suae.
Aenea praesentem laesis aspecta salutem
et sine difficili forma labore tulit.
Non tamen hoc propriis faciebat viribus ingens,
tristia cum populi vulnera curat opus,
sed λόγος aeterni soboles et patris imago,
hac populi praesens vulnera curat ope.
Illum sperabant intacta virgine natum,
in cruce pensurum debita λύτρα patri.
Hunc plebs aegra fide spectans oculisque figuram
erectam, passis est medicata malis.
Sic tua per nostros virtus innotuit hostes
omnia te verbo vivificare tuo.
Quos fortuna suis agitat violenta procellis,
hos sine te salvos reddere nemo potest.
Ast illi muscis, saevis periere locustis
et spes afflictis nulla salutis erat.
Nam merito tantos reprobi sensere dolores,
fas erat hos saevis interiisse modis.
Saeva tuam poterant turbam non ora draconum
perdere, vipereis insidiosa comis,
nam tua praesto fuit placido clementia vultu
et deerat laesis pharmaca grata, Deus.

46 potest, potst

Hos tamen exiguos fuerat perpessa dolores
proque suo facilem vulnere sensit opem,
ut memor assiduo discant tua verba labore,
ne gerat et verbi nescia corda tui,
et tua perpendat studiosa munera mente,
coelica quae praebet splendidiora manus.
Herba nihil potuit medici nec pharmaca vulnus
lenire et saevis eripuisse malis,
sed tua sublatam referebant verba salutem,
talia sunt populo pharmaca missa tuo.
Haec etiam saevos humano pectore morbos
pellunt et mentem dogmata sancta docent.
Inclyta cum vita mortem tua dextra gubernat,
haec duo sub manibus sunt inimica tuis.
Tu potis es, Stygias cum quem deducis ad undas,
hunc Stygis e putridis tollere rursus aquis.
Ast homo crudeli si quem necat impius ense,
nil animae stolidus restituisse potest.
Spiritus exanimi resolutus corpore nostris
viribus in corpus non redit ille prius.
Nemo tuae effugiet coelestis fulmina dextrae
irati, quos vult, obruit ira Dei.
Impia turba, tuum quae deformavit honorem
nec leges coluit seditiosa tuas,
saeva tui sensit commoti tela furoris,
pro varia poenas impietate dedit.
Diluvium, laticis plenos et grandinis imbres
sensit et hoc omnes excruciabat onus.
Flamma vorax multos tristem demisit ad Orcum,
ignis ubi saevo saevus in igne furit.
Omnia depascens ignis consumit in ipsis,
mira loquor, si quid forte natabat, aquis.
Non aqua commixtam potuit compescere flammam,
iustis astabant ipsa elementa viris.
Et modo flamma suas minuebat coelica vires,
ne perdat nocuas in regione feras,
quae reprobos etiam saevis laesere venenis
et poterant variis his nocuisse malis,
ut sic aspiciant coelestis numinis iram,
impia quae saevo corda dolore premit.
Et modo flamma suos in aquis eiecerat ignes,
ut mala multiplici turba calore ruat.
Angelicis tua turba cibis servatur, ab alto
panis sollicitae dulcior axe datur

et sine servili cunctis datur esca labore
coelica, quae multum commoditatis habet.
Praebuit ista suum dulcem gustata saporem;
quis nollet tales carpere posse cibos?
Grata Deus differt interdum commoda, magnas
auxilium laudes, quod mora tardat, habet.
Optatam cunctis dulcem facit ipsa salutem
atque Dei, quae sit patria cura, docet.
His cibus innumeros populo cedebat in usus
et potuit varia pro ratione coqui.
Sed nix cum glacie rapido crescebat in igne
et reprobis pariunt tristia damna viris,
ut tua turba sciat, misere quam destruat omnes
hostiles rapidis viribus ignis agros.
Cum nec grando levem poterat consumere flammam
nec poterat pluviis ista perire vagis,
flamma suas vires, mirum, ceu facta repressit
et celeres iustis abstinuisse iubet.
Isti namque tui norunt, sit quantus amoris
ignis, et hoc semper frigida corda fovent.
Cuncta creata suum te, verum numen, honorant
autorem, laudes haec tibi grata canunt.
Duriter iniustos te disponente coercent,
saepius, adiutos quos cupis esse, iuvant.
Omnia tunc varias fuerant mutata per artes,
ista tua fuerant sic variata manu,
ut cibus aetherea populum demissus ab orbe
recreet et laetos esca comesta paret.
Ut tua, quam patria semper pietate tueris,
turba sciat, quantis sit decorata bonis.
Nec quod terrestres sustentent corpora fructus,
nec dapibus vitae tempora servet homo,
sed verbi virtute tui, quae salvat et omnes,
qui fidei vera te pietate colunt.
Nam quod ventosus non antea solverat ignis,
consumtum solis deinde calore fuit.
Ut tua luciferi solis consideret ortum
turba, tibi grates et studiosa canat,
luce tui verbi flecti sua corda precentur
et sol hos patrio congreget igne, Deus.
Ingrati spes vana ruet, velut orta pruina
cana, resolventi tacta calore perit.
Ac velut in praeceps vehemens delabitur unda,
ingrati nunquam spes diuturna manet.

## 19. Caput XVII.

Magna, Deus, tua sunt mentis concepta nec ulla
lingua potest iustis haec celebrare modis.
Propterea dubiis homines erroribus acti
errant et falsum mens vaga scandit iter.
Sic fera cum saevo domino Pharaone caterva
Hebraeis tendunt retia multa viris
et totum populum scelerata fraude parabant
perdere, sanguineis turba parata dolis.
Sed Deus illorum facinus crudele repressit,
accipit eventus impia causa malos.
Perpetuae tenebras noctis sensere profundas,
hos grave nocturnum corripiebat onus.
Ceu vincti duro iacuerunt carcere, nunquam
quem penetrat radiis lux rubicunda suis.
Ut se divina stolide quis servet ab ira,
occlusit patulae limina cuncta domus,
sit quasi dura Deo res ac operosa potenti
tela per occlusas mittere saeva fores.
Peccati foedum dum celant stercus et istud
ignotum cunctis posse manere student.
Sic sua coelestem sperant latuisse parentem
crimina. Quis mentis crimina tecta sciat?
Interea sordes scelerum patuere retectae,
stercoris est nimium prodita foeda lues.
Horrida sollicitis ingentem spectra timorem
et varios dederant exitiosa metus.
Angulus in propria si quem celaverat aede,
hic quoque tunc magni causa timoris erat.
Murmura saeva viros cingebant, larva cruento
terrorem vultu commaculata dedit.
Ignea nec poterat tenebras dissolvere flamma
nec stellis voluit cedere noctis onus.
Si quis et interdum miseris affulserat ignis,
se fera pro flammis spectra videre putant.
Rem nihili metuunt et adhuc peiora verentur
affore multiplici spectra timenda malo.
Tunc magicae pariter fraudes cecidere nec ipsa
artis laus aliud quid nisi risus erat.
Tollere qui reliquis causas voluere timoris,
corda repellendi plena habuere metus.
Ipse suos potuit medicus nec pellere morbos,
in quibus aegrotis ferre volebat opem.

Artifices magnos etiam sensere pavores,
ridiculis omnes extimuere modis.
Et si terrores nemo metuisset inanes,
a nimio poterant interiisse metu.
Cum fera currebant patulis animalia campis
et sunt per cunctis visa salire domos,
cum sua serpentes duplicabant sibila tortos
et traherent cauda mobiliore gradus,
tunc neque vitalem spectabant aëra, nostro
flamina qui vitae corpore grata vehit,
quo sine nos cordis rapidus sub pectore fervor
perderet. Externo flamine corda vigent.
Conscia mens varii sceleris cor frangit et omnes
ex animo vires perniciosa trahit.
Nemo nocens unquam vel se quoque iudice iustus
dicitur. Ipsa reum me mea culpa facit.
Territa mens reiicit spem cunctam et semper iniquae
fortunae graviter noxia tela timet.
Et metus ex fracto descendit pectore, nulla
unquam purgari cum scelus arte potest,
aut nullam cum sentit opem mens fracta dolore
auxilii toto nec quid in orbe videt.
Terrores duplicat mens, quam solatia linquunt,
ingens poenarum spe sine crescit onus.
Haec vox horrendos peperit lacrymosa tremores,
in terram Stygiae quam tulit umbra domus.
Nam quot in hac gratae se commisere quieti,
senserunt miris spectra timenda modis.
Exanimes alii vultu cecidere supino,
corpore ceu subito fulmine tacta forent.
Improvisus eos terror circumdedit omnes,
non praevisa gravi vulnere tela nocent.
Qui nec compedibus rigidis nec vinctus habenis,
ianua cui saevi carceris atra patet,
ingentes animi cruciatus sentit et iram,
cum nequit ex tali liber abire loco.
Sic pariter vehemens omnes timor ursit et illis
nemo se potuit surripuisse malis.
Agricola aut pastor fuerit vel cultor eremi,
noctis idem cunctos exagitabat onus.
Namque omnes pariter tenebrae cinxere profundae
liber et a tanto pondere nemo fuit.
Nonnunquam tenuis miseros cum tangeret aura,
aut vaga sub viridi fronde canebat avis,

vel fluvii pleno fluerent cum gurgite, saxi
praecipitis sonitum cumve ruina dedit,
aut animal celeri saliit per pascua gressu,
edidit aut duros saeva leaena sonos,
vel vox cum sonuit, quam vox clamantis ad aures
reddidit, haec nimius singula terror erant.
Candida lux toto passim tunc fulsit in orbe
et solitis rediit nox tenebrosa bigis,
ast illos tantum solos inimica premebat
nox, in qua lucis spes prope nulla fuit.
Haec tamen hos monuit tenebras restare perennes,
quae cunctos nullo fine sequente prement.
Interea miseros animus cruciabat et ipsa
conscia mens maius nocte fiebat onus.

## 20. Caput XVIII.

Undique sanctorum sed lux iucunda per aedes
e coeli rutilo culmine sparsa fuit.
Hostes sanctorum voces hausere, sed ipsos
prae tenebris potuit nemo videre viros.
Quilibet invito depromsit pectore laudes,
gaudens a tantis hos superesse malis.
Atque hos vindictae memores non esse triumphant,
gaudent ultrices hos nec habere manus.
Antea namque pias crudeli pectore turbas
contuderant. (Pietas ut cruce nulla caret.)
Postea coniunctis optabant vocibus omnes,
ut sancti procul hinc, ne videantur, eant.
Ignea flamma tuam duxit, Deus alme, catervam,
quae docuit veras fida magistra vias.
Hos quoque ferventi servasti solis ab aestu,
frigus et in rapido lene calore fuit.
Pulchra die fessos, gratum, nubecula, culmen,
texit et accensos solis abegit equos.
Hostiles merito fulsit lux nulla per aedes.
Impia cur lucis munera turba ferat?
Lucem quaerentes tenebras pro luce videbant,
currebant noctes et sine luce dies.
Vincula cum tremulo gestassent crure, gravabat
illorum noctis pectora moesta iugum.
Antea compedibus, duris et iniqua cathenis
turba tuum graviter vinxerat illa gregem,

per quem coelestis sparsurus dogmata legis
in mundum, patrii pignus amoris eras.
Caedebant Phario lactentes ense puellos,
Hebraea fuerant qui genitrice sati.
Unus at undosam Moses proiectus in ulvam,
infans coelestem iam quoque sensit opem.
Filia crudelis puerum studiosa tyranni
nutriit, haec Mosis tunc pia mater erat,
Niliacos tandem posset qui perdere cives
et gravis Aegypti coelica poena foret.
Hoc duce quos Pharao tota cum gente dolores
pertulit et magnis damna referta minis?!
Unica nox tota pueros regione necabat
et maris infestos perdidit unda patres.
Laetior haec patribus fuerat nox prodita nostris
et spes promissae certa salutis erat.
Optabant igitur promissos semper honores,
haec spes afflictis inviolata fuit.
Optabant iustis dandam spectare salutem,
quamque graves poenas impia turba luet.
Namque per hostiles tua cum volat ira cohortes,
saevit et ardenti coelicus ense furor,
tunc tibi nos dulci coniungis foedere multis
et tua nos cumulat gratia sancta bonis.
Cum sua sanctorum coetus tibi sacra pararet,
lex tua susceptum iusta regebat opus.
Agnum, coelesti sicut tu lege monebas,
tostum quisque suo limine clausus edunt.
Unanimes tandem concordi foedere iuncti
omnia fortunae tela subire volunt.
Interea patres longo stant ordine sancta
et fortes hilari carmina mente canunt.
Ut Deus iniustos, ardenti voce precantur,
tollat et impositum leniat ipse iugum.
Adiuvet ipsorum mentis decreta, secundam
reddat, quam taciti composuere, fugam.
Eccontra moestas hostes fudere querelas,
infantum deflent cum periisse gregem.
Unica cum domino laedebat poena ministrum,
illud erat vulgi quod quoque regis onus.
Plurima sub cunctis iacuere cadavera tectis,
pallida quae mortis sustulit una manus.

66 onus, unus

Vivorum nec tanta fuit tunc turba, virenti
exanimes poterat quae sepelire solo.
Una bonum populi germen destruxerat hora,
quod spes venturae posteritatis erat.
Ante velut magica decepti turpiter arte
omnia ridebant facta stupenda Dei,
sic, male cum primogenitis mors saeva noceret,
quod Deus hos patrio curet amore, vident,
cum sua crudeles torqueret poena, videbant
ut Deus Hebraeae limina plebis amet.
Nox erat et gratus fessos sopor imbuit artus,
alta quies cunctis rebus in orbe fuit.
Tunc sol in medio sub terris fluxit Olympo,
verbum cum rutilo venit ab ore Dei.
Quod ceu magnanimus miles descendit in illam
terram, quae graviter tunc quatienda fuit.
Immoto validus mandato traditus ensis
infantum rapido membra furore secat
et quanquam serpebat humi, tamen aethera splendens
attigit et fuso sanguine plenus erat.
Horrida Mizraicos terrebant somnia cives
obruit et subito trista timoris onus.
Semianimes passim multi iacuere per urbes,
mors multos nimio sustulit orta metu.
Somnia pollutas docuerunt horrida mentes,
cur mala tam duro tempore tanta ferant.
Sed quoque iustorum clades venere cruentae
et cecidit populi pars, Deus, una tui.
Sed cito desertas coelestis poena per oras
desiit. Ut gravis est et brevis ira Dei.
Nam cito sincerus turpi sine crimine Aaron
adfuit et solito corripit arma modo.
Arma capit crebros gemitus et olentia thura,
mitem quaeque videt reddere posse Deum.
Restitit ille tuae, Deus, imperterritus irae
et populum tristi texit ab igne tuum.
Hac ratione tuum se prodidit esse ministrum,
non tamen humanae damna levabat ope.
Et neque lethiferis poenas superaverat armis,
sed verbi firmo robore tutus erat.
Armatus verbo rapidum deterruit hostem,
victrices dederant coelica verba manus.

82 ore, orbe

Ius et sancta Dei cum patribus icta legebat
foedera, quae nunquam vult violare Deus.
Pollicitam memori Deus affert mente salutem,
a quibus ingenuo se scit amore coli.
Mortua cum viridi crevissent corpora campo,
Amramides saevam destruit ense luem.
Pro populo summas fudit mediator ad auras,
ardentes animo liberiore preces.
Poenam, ne vivis possit nocuisse, repressit
et cito, qua voluit laedere, clausit iter.
Insigni fuerat pugnans coopertus amictu,
in quo, si quod erat, fulsit in orbe decus.
Nomina perspicuis fuerant duodena smaragdis
sculpta, quot et fuerant in regione tribus.
Mitra tuo fulsit divino nomine, sancti
qua capitis mollem presserat ipse comam.
Haec immissa lues tunc ornamenta videbat,
sanctorum tantis cessit iniqua bonis.
Nam quoque sat fuerat quosdam cecidisse, potentis
ut scirent, quam sit res gravis ira Dei.

## 21. Caput XIX.

Maxima tunc reprobos cruciabat poena nec ullum
finem poenarum maximum habebat onus.
Nam Deus illorum mentes praevidit iniquas,
scivit, quae posthac instituisse velint.
Nam cum Niliaca populum discedere terra
iussissent magnis turba agitata malis,
pars quoque, quae veros iuga per declivia calles
monstret, idem comites ingrediuntur iter.
Iam Deus ante videt cunctos hos velle profectos
persequi et in caepta dispoliare fuga,
lugentes quoniam natorum funera, stulto
omnes consilium pectore tale parant.
Unanimes, dixere, fera nunc caede sequamur
illos, quos profugos quis neget esse viros?
Cum tamen hos, ut eant multum coluere precando,
hosque duces veras edocuere vias,
hic merito reprobum furiosus sustulit agmen
exitus, haec merces digna labore fuit.
Immemores cladis passae mox turba futuri
exitii stulta mente subivit onus.

Tunc tua turba novos didicit per devia tractus
et quoque per saevas fortior ibat aquas.
Te mandante suos vertit natura meatus
et studuit turbam promta iuvare tuam.
Castra tui populi nubes illustris obumbrans
ut vaga defessis profuit umbra viris.
Ante maris fluctus ubi defluxere, sub istis
conspicitur siccis arida terra locis.
Et mare, quod rubris prius insistebat arenis,
est factum populo semita plana tuo.
In campos virides fallax mutatur abyssus,
in quibus emissus carcere currat equus.
Huc tua turba suos non ausa impellere currus
distractas tamen has te duce vicit aquas.
Hi tua spectantes laeto miracula vultu
per freta cum magna prosperitate ruunt.
Sicut equus virides petulans dimissus in agros
luxuriat, celeres itque reditque vias,
ut tener in tecto discurrens agnus ovili
exilit in reliquas saepe petulcus oves,
duplicat et faciles lascivus in aëra saltus
et sua cum dulci gaudia matre capit,
sic hilaris siccas lusit tua turba per undas
et celebrant vera te pietate Deum.
Tu quoniam tristi raptis ex ore tyranni
his dederas vita liberiore frui,
exilii magnas peperit destructio laudes,
ut res saepe pias gignit amara preces.
Norant, quod subito cunctis animalia terris
conciderint, muscas tunc meminere vagas,
unda suos etiam quod non circumflua pisces,
sed ranas magna fertilitate tulit.
Mox quoque post miras avium videre catervas,
pro manna varios cum petiere cibos.
Missa coturnicum totum satiaverat agmen
copia, tunc cunctis haec avis esca fuit.
Tristia sunt reprobos poenae per signa secutae,
fulgura quae niveis sunt comitata comis.
Et merito tantos pariter sensere dolores,
hospitibus quoniam nemo ferebat opem.
Hospitio quosdam non excepere petentes,
servitii multis imposuere iugum.

38 ...celeras itque reditque vias, celeras idque redit vias

Maiores igitur poenas patientur, egentis
exulis hi quoniam praeteriere preces.
Et quos vicino iunxerunt limine, tristes
his pestes vario pondere semper erant.
Tecta velut quondam Loth iusti cinxerat agmen,
quod grave ne noceat noctis abegit onus,
sic super iniustos tenebrae cecidere profundae,
hic sua nox fessis longa quievit equis.
Nemo suas potuit tenebris velatus in aedes
ire nec excultae tecta videre domus.
Per cava ceu graciles saliunt psalteria chordae,
sic elementa sua tunc sine lege ruunt.
Nam siccis habitata locis abiere sub undas,
arida tunc videas, quae mare texit aquis.
Flamma per immensos ardebat maxima fluctus,
unda novo accensas fovit amore faces.
Noxia nec flagrans animalia sustulit ignis,
illa sed in mediis tuta fuere rogis.
Nec mannae partes ardens liquefecerat aestus,
sol tamen admotis quos soluebat equis.
Turbam, quam patrio clemens defendis amore,
ornasti nimio semper honore, Deus.
Maxima te praebente tulit sua commoda, laudis
haec quoque te propter munera vera tulit.
Hanc tua contemtam cunctis nec spreverat unquam
gratia, sed iusta sedula texit ope.
Auxilium semper tuleras, quocunque volebat,
non quia digna fuit, sed quia mitis eras.
Nunc etiam populi voces audito precantis,
qui vera, prior ut, te pietate colit.
Destrue crudeles horrendo fulmine reges,
qui laedunt populi viscera sancta tui.
Tu siquidem Deus es, nostri quem flectere patres
per crebras poterant, turba vetusta, preces,
nunc fer opem nobis etiam! Num ferre tyrannos,
coelica sanguineos vivere dextra potest?

## III. EPIGRAMMA AD LECTOREM

Quae bona sit, quot et illa petat respublica partes,
hoc tibi, docte, potest dicere, lector, opus.

64 praeteriere, praeteriore

Nobilis insigni superat Rakocius arte,
quae Plato, quae grandi Tullius ore canit.
Nam Christi nitido decantat carmine laudes,
quo sine res nunquam publica salva manet.
Huic igitur vero, reges, servite timore,
oscula coelestis sumite blanda ducis.
Illius aut omnes subito vos obruet ira,
quae graviter regum colla superba premit.
Tu, Loge, gnate Dei, sanctorum pectora regum
clemens aeterni flaminis igne fove
atque tui tandem regnum largire parentis,
quod sine te nobis tradere nemo potest.

## IV. EPITAPHIUM CLARISSIMI VIRI D⟨OMINI⟩ LEONARTI STOKHELII, RECTORIS SCHOLAE BARTPHENSIS FIDELISSIMI, QUI OBIIT BARTPHAE, ANNO CHRISTI 1560, DIE 7. IUNII, QUI EST QUINQUAGESIMUS DIES POST MORTEM D⟨OMINI⟩ PHILIPPI MELANTHONIS, PRAECEPTORIS EIUSDEM

Parva Leonarti claudit breve membra sepulchrum,
quod prominet Stöckhelii,
illius at magno nomen vix clauditur orbe,
dira nec occidet nece,
Unica ceu fuerat vivus tibi, Bartpha, voluptas,
sic mortuum plangens dole.
Iste tuos docuit Christi pia dogmata natos,
bonis politos artibus.
Officio gaudens pueris incommoda nunquam
sonabat ore melleo.
Ut pius aequoreis gestat delphinus in undis
puellulos amabiles,
sic docilem patria fovit pietate iuventam,
gestans piis hanc brachiis.
Pannonici doleant tam tristia funera cives,
ecclesiae gemant piae.
Occidit in dubio sincerus dogmate iudex,
in lite mitis arbiter.
Arte potens, sanctae pacis studiosus et hostis
inter pios discordiae.

Arduus Herculeo stravit fera monstra labore,
tetros sophistices fabros.
Victor ovans superas est hinc abductus ad auras,
pugnae videt iam praemium.
Quanta sit aeternae, miratur, gloria vitae
gratis datae credentibus.
Caelestem spectat cum nato et flamine patrem
iunctus bono Melanthoni.
Bartpha piam tristi retinet cum coniuge prolem,
tres filios, tres filias.
Ut bona sectentur patris vestigia nati,
dabit Deus petentibus.
Praeteriens hac siste gradum tumuloque, viator,
precare fausta parvulo.

## V. ANNIVERSARIUM SACRUM PHILOMELAE, IN QUO PASTORES MOERIS ET AMYNTAS MALA ANNI A CHRISTO NATO EX VIRGINE 1560 CARMINE DEPLORANT

### 1. Egregio Domino Christophoro Armpruster, sacrae Romanae caesareae maiestatis consiliario et proventuum regni Pannonici administratori, domino et patrono suo summa fide colendo Georgius Purkircher S⟨alutem⟩ D⟨icit⟩

Salve, Christophore et ferende Christo
Armprustere, decus novem sororum,
salve et vive tui memor Georgii,
qui mittit tibi motus haec furore
caeco carmina, nil quibus leporis
mixtum est, nil sapidae eruditionis.
Supplex et petit, orat obsecransque
obtestatur, ut ista fronte tali,
quali dat, capias, favente vultu
nugas intueare et has inanes,
Smyrnaeo canere et queat disertus
si plectro, officiis tuis referret
grates non meritas tamen canendo.

Pellaeo cecinit malus poeta
regi Chaerilus. Et tibi querentes
pastoralia, Moerin atque Amyntam,
blandis auribus audias precatur.
Defunctam Philomelam et ante tempus
custodes pecudum interiisse summos
alternis referent piae Camoenae.
Grata est materia et meretur amplam
laudem. Carminibus, quod hinc redundat,
cedet forte quid ut placere possint.
Sit grata et sine viribus voluntas.
Salve, Christophore et ferende Christo
Armprustere, decus novem sororum.
Semper te Deus et tuos gubernet,
natus cum patre spirituque sancto.

## 2. Amyntas et Moeris pastores

Amyntas
Salve, o iam longo non tempore vise sodalis!

Moeris
Salve et tu dilecte loco mihi fratris Amynta!

Amyntas
Nativus quo, Moeri, tuo rubor ore recessit?
Cur palles? Morbum color hic in corpore prodit.
Quid frons cana, quid hanc gemebundus scalpis, an ullus
per tua serpendo grassatur ovilia morbus?
Aut iam vere novo pecudes contagia torquent?
Denique cur hodie solenni veste superbis?
An nova solus habes intra tua limina festa?
Cum totus laeto pagus nunc sudet in agro,
desidia stertens secura quid otia ducis?
Agricolis verno gravius nil tempore totus
multiplices propter per prata et rura labores
affert, expertus nemo illa negaverit, annus.
Et tua tota domus simili torpore pigrescit?
Quin saltem mandas tua pinguia rura ministris
excolere, aut flammis viridantia prata repurgas?
Laedunt umbrosae surgentia gramina spinae
et quoque messorum falces lentore morantur.
Non hoc ista decet tranquilla ignavia tempus.

Moeris

Non equidem invideo farctas pinguedine buccas,
quae tua adhuc male iam nictantia lumina claudet,
ceu lituos infles, aut grandes ventribus utres.
Et nostro memini tales in corpore vires,
proximus at totus pressit me duriter annus
Fortuna adversas varie sufflante procellas.
Magna domi, maiora foris fluxere pericla
me contra et saevis tumuerunt aequora ventis.
Cuncta mihi pelagus fuerant, rapidae omnia Syrtes,
ut neque mirarer tanto si pondere fati
haec mea, quae superest languens, oppressa fuisset,
vita et succumbens patiendo mortuus essem.
Hinc facies palletque cutis vix ossibus haeret.
Moeror edax animi vires et corporis aufert.
Otia sollicitus mea ne mireris, Amynta,
si nescis, hodie fatalem perficit orbem
annus, ubi immites Philomelae stamina Parcae
ruperunt, misere febrili tosta calore.
Ista dies atro cunctis signanda lapillo
lugubres renovat voces et moesta reportat
cum lacrymis longo querulus examine luctus.
Ultra Sauromatas extremos inter et Indos
si ferar, at meliora Deus det, ab hostibus exul,
coelesti quoties lux ista refulserit orbe,
gutture tunc questus, lacrymas tunc lumine fundam,
pinguibus et nostras lucentes ignibus aras
accendam, sua erunt Philomelae sacra sepultae
annua, lux fastis haec est iungenda vetustis,
scribeturque novi festi, Philomelia, nomen.
Sic Pan curet oves mihi, sic faetura bidentum
augeat alma greges, repleant mulctrale capellae.
Huc ades et trito mecum hoc in limine side,
aut cape, quam cernis, contextam ex vimine sellam.

Amyntas

Vera refers, variae sed caeco in pectore curae
talia nos meminisse vetant, nec publica nostras
ignavas mentes, ceu propria, damna molestant.
Cum Philomela suae finisset tempora vitae,
Oceano pullos tunc matutina vocarat
gallina et reliquis stellis coniunxit Olympi,
quod, bene si memini verborum, Pleiades, astrum
dicitur a doctis, ut me meus ipse docebat

filius, hac linguam Graecam qui discit in urbe,
tempore quo multus caelo delabitur imber,
ut gallina lavet pipientem sedula turbam.
Illa quid assurgens gleboso ex cespite moles
purpureis violis et multo flore decora?

Moeris

Annua iam primum Philomelae sacra peregi.
Ex viridi tumulum congessi cespite inanem.
Hi mea et exigui tugurii sunt munera flores,
has etiam voces tristi repetivimus ore:
Salve, dulce melos, salve, Philomela, piarum
salve lux volucrum, cineres, salvete, perennes,
salvete et placida, manes, requiescite sede.

Amyntas

Gratior est pietas in sacris praestita templis.
Templa Dei scis esse domos. Quis numinis aedes
spernat? In his audit gemitus et vota precantum,
non precibus gaudens, timidus quas angulus offert.
Publica dat Deus et quoque publica dona reposcit.
Cur non ad tumulum Philomelae, Moeri, propinquum
istas exequeris pompas, vacuam quid adornas,
cur simulata placet, prope sit cum verior urna?
Ille locus tales fieri sibi poscit honores.

Moeris

Erras, si temere fieri isthaec reris, Amynta.
Publica quis nescit superis mage sacra probari?
Ambitione meis nec sacra domestica caulis
institui. Nova stant causis exempla caduntque.
Ingentes habeo et iustas te iudice causas,
quas tibi, ni lacrymis cesset vox languida, dicam.
Lux radiis postquam nostras hodierna fenestras
tingeret atque senis linquens Aurora cubile
Solis equos roseum pulchre iunxisset ad axem,
acclamo famulos hesterno vespere lectas
res sumant, sacris usus quas destinat aris,
meque ad defunctae Philomelae busta sequantur.
Accurrunt cupidi mandata et herilia curant.
Ibamus, brevior via facta est, inter eundum
ordine multa meis recitabam carmina vatum
summorum, ad tumulum Philomelae inscripta tabellis.
Si quis honor vatum, dixi, si praemia doctum

carmen habet, Deus hos vates ornabit honore,
constanti aeternos fama qui duret in annos.
Ille pias amplo persolvet munere dotes,
nec Philomelae unquam vatum nec fama peribit.
Interea ad tumulum ventum est, ubi sacra parari
debuerant, sed cuncta canum fervere videmus
copia, ibi immanes saeva excrementa molossi
ore utroque vomunt, grandi et foetore sepulchrum
sanctum dedecorant, alii telluris in imum
unguibus hamatis penetrant ipsumque cadaver
exanimum rodunt, trepidat sub dentibus esca;
membra in frusta secant nec edunt, sed secta relinquunt
conspurcanda canum vomitu merdaque cohorti.
Ad tumulum nigra tellure Melanthion exit
et ramis tenerum languenti et caule pusillum.
Iuncta adstat semper viridanti fronde Sabina,
quae graciles latum ramos propagat in orbem.
Peucedanum luteo prodit quoque amabile flore,
cui caulis tenuis, dives sed germine radix.
Has etiam pulchras immani stercore plantas
polluit et mictu laedit fera turba procaci.

Amyntas

Nonne pedo morsus poteras prohibere nefandos
verbere et a tumulo turmas arcere caninas?

Moeris

Tentavi et mecum pastorum maxima turba
attentavit idem, sed verba et verbera rident.
In nos confrendens rabiosis dentibus agmen
irruit atque omnes, fuga ni suscepta fuisset,
tunc consumsissent. Tanto grex iste furore
grassatur nec adhuc habet ista licentia finem.
Et quod mirari nequeo satis, ante secuti
nostra armenta canes (ceu nos custodibus illis
utimur et fures contra incursusque luporum)
gaudebant, quoties Philomelam suave canentem
audierant. Multos vidi ipse in clune sedere
primis innixos pedibus vocesque sonoras
observare, pio quas pectore finxerat ales.
Nunc tamen innocuam, mortali sorte peremtam,
tanto odio infestant patulo et miserabile corpus
ore petunt foedeque insontia membra cruentant.
Hetzaus est reliquos inter, quem novimus ambo.

Saepe serum pingue aut spumosi iura colostri
in caulis nostris, ut parca ferebat egestas,
illi praebuimus, pecudum cum strenuus hostes
a nostris poterat septis arcere rapaces.
Hic Philomelae adstans quantum simulabat amorem!
Flexibili cauda cantanti semper adulans
tergore villoso ramos demulsit, ut ipsa
illis insidens avis hinc sua gaudia haberet.
Nunc non contentus tumulum lacerare sepultae,
verum etiam pectus venerandum dente reclusit,
quaerit et exanimi sitiens in corde cruorem.
Sanguinis ista sitis polluto hoc regnat in ore.
Obstipui tam dira videns mecumque Palaemon,
qui canis horrendum vix acclamaverat ausum.
Ignescunt oculi torvi, coma mobilis horret
dentatoque fremens contra ambos gutture fertur.
Tanta mali vis est. Vicina ibi creverat arbor,
haec conscensa simul nos turpi a morte redemit.
Corpora non poterat, laesit latratibus aures.
Pastores etiam, quos nostra haec educat ora,
vidimus hic aliquos Philomelae inspergere tumbae
hastatas spinas, sentes, dumeta rubosque
urticas alii plenis, vis ignea plantae,
apportant calathis, maleolentes floribus herbas
collectas alii tumulo sua munera donant.
Hos affabamur reliqui: Iam gratia facti
an veteris cecidit? Quis vestras occupat error
mentes? Nonne canum satis est saevire cohortes?
Desinite obscoenis donis foedare sepulchrum;
non ignominiam tantam Philomela meretur;
longe alios meriti fore mortua sperat honores.
Diximus, infremuit monitis plebs saeva benignis.
Territat et bellis, aut tuta silentia mandat.
Sic similes canibus pastores omnia grandi
clamore atque ausis bachantes turpibus implent.
Cessit amor pecudum, iacet omnis cura peculii.
Unicus ille labor cunctis violare proterve
quaesitis scelerum Philomelae viscera formis.
Ni Deus aut regum quis fortibus opprimat armis
has socias turbas, quo tanta licentia tandem
non ruet, aut quid erit toto inviolabile mundo?

155 fremens, frequens

Haec est causa, domi peragi quae sacra coegit,
hinc doleo et frontem, canam maerore, frequenter
scalpo. Quis hoc misero sit tempore laetus, Amynta?

Amyntas

Et quae tanta datur sceleratis causa furoris?
Impietas similis nulla est audita supremis
maiorum, aut nostris, ullis ventura vel annis.
Pacificam vixit turpi sine crimine vitam,
profuit innumeris semper, nulli obfuit unquam,
tam pia, tam dulcis volucris, quae saepe canendo,
non potu, non usa cibis, se carmine pavit,
unica cura fuit suaves effingere voces.
Nec contenta dies longos abscondere cantu,
immemor at somni noctis quoque iunxerat horas.
Non tamen optata fruitur defuncta quiete,
extrahitur tumulo, spolium execrabile facta
sanguibibis canibus vanae et res ludicra plebis.
Omnia sunt ingrata. Vetus iam Gratia numen
occidit et summis coeli caput abdidit astris,
occubuit virtus, turpi scelus imperat orbi.
Sed Deus hoc foedum clementer diruet agmen,
qui mundas volucres et sancta sepulchra tuetur
iratusque suo fulmen iaculabitur arcu,
insani Stygia quo submergantur abysso,
illos ut socios muniti ianitor Orci
Cerberus aeterno triplex sibi foedere iungat.
Impia pastores augebunt castra Gigantum
impii et hi summo divos detrudere coelo
intrepidis saevi tentarunt fortiter armis.
Sed quas ante domi clades, quae damna forisque
tot sensisse miser dixisti, lapsus an annus
tanto, Moeri, tuas fortunas pondere pressit?
Fare age, lenit enim recitatio crebra dolorem,
aut ope, si potero, te consiliove iuvabo.

Moeris

Cum puer exultans equitare in arundine longa
a patre vicinos una ducebar in agros,
saepe pater matri simul haec memorabat eunti.
Bisseni extremus lustri cum fluxerit annus,

203 submergantur, submergentur
213 aut, ast

stabit et agricolis iam sexagesima messis,
tunc homines caveant casus vereantur et omnes
tunc animos promto cordatos robore firment,
fortunae ut varias possint eludere fraudes.
Haec alii quoque verba senes et grandior aetas
dixerat, haec memori nunc pectore dicta voluto,
quos tunc non potui nimis atque intelligo sensus.
Impius est, qui cauta senum praesagia ridet.
Cavi, sed mea nil lenit prudentia fatum,
profuit et mea nil genitrix, ut multa caveret.
Scis, meae ut ante domi pater atque industria mater
vixerit. Haec fessum morbis annisque parentem
fovit, ut halcyonem curat foemella maritum.
Nunc solus pater est, qui limina maesta gubernat,
quem premit annorum series et curva podagra.
Mater ubi infelix quartanae tormina febris
longa tulit, morbus facto ceu fine quievit,
gavisa estque parens tanta iam libera noxa.
Tunc ventrosus hydrops oneravit membra tumore
febrilique calens aestu, quos sumserat haustus,
in fluidos mutavit aquae natura liquores,
hosque cutem corpusque intra corrupta protrusit.
Expleri nequit aegra sitim ardescitque bibendo
et quo plura bibit, plura optat pocula supplex.
Post, puto, defessus lucens exaruit humor
membraque commigrans, quo nescio, plana reliquit.
Subsequitur nigro morbus languore caducus,
quo correpta feros vertebat in omnia vultus
et mordens linguam spumoso concidit ore.
Accurri lacrymans et, Mater, desine, dixi,
te genitae soboli tristes iterare dolores.
Parce patrem nobis, tibi contristare maritum,
desine tam torvos, mater, iamque exue vultus.
Dixi et dilecto nectebam brachia collo,
addidi et, a puero quod non feci, oscula multa.
Illa sed immotis oculis, velut horrida cautes
mansit et has lacrymas aut surda praeterit aure,
aut aliis morbi causis vox faucibus haesit,
nec prolem, aut thalami verbo est dignata sodalem.
Tandem oculos tollens suspiria longa trahebat,
morbi iam cessante lue, nil conscia morbi,
ulla nec aegra dabat passi mens signa doloris.
Tunc varias audax, quasi non aegrota, loquelas
instituit, morbi cum mentio facta prioris

ulla fuit. Vana haec, scio, sunt mendacia, dixit,
non mihi vestra unquam morbum persuasio finget.
Nec tamen hoc morbo potuit succumbere, lentae
postea sed tabis diuturno concidit igne.
Non morienti aderam digitis nec lumina clausi,
non super incubui, non oscula frigida carpsi,
non lacrymis corpus iustis exangue rigavi,
funeris extremum nec sum comitatus honorem.
Illius in somnis mihi blanda occurrit imago
nuper et haec visa est me ceu vigilante locuta:
Nate, meum lacrymis somnum ne rumpe, quiesco.
Excitor et somnus visa cum matre recessit,
maerores tamen haec insomnia blanda levabant
noctis et hos lusus felix interpretor omen.
Me peperit cum quinque aliis ter casta tenellis
natis atque omnes miro dilexit amore,
me tamen, id quare sit factum, nescio, cunctis
praetulit. Est matris quid inenarrabile storga,
qua studiosa marum mage quam muliebre tuetur
germen, et illa subit mentem pietatis imago,
illa ciet lacrymas fovet alto et corde dolorem.

Amyntas

Vita hominis labor est, somnum vitae exitus affert.
Hanc Christi peperit nobis mors pulchra quietem.
Amissamne doles matrem, cum mortua vivat?
Dormit et ad Christi vocem experrecta resurget.

Moeris

Occidit et Dryades inter pulcherrima Nisa,
quae moritura, vale, dixit, mea, Moeri, voluptas,
et complexa fuit tristem morientibus ulnis.

Amyntas

Et rosa pulchra nitet, brevis hanc tamen enecat hora,
et vernae violae lucent subitoque senescunt,
lilia et alba vides, succisa sed arida marcent.
Quid nive splendidius? Parvo tamen interit aestu.
Pulchra iuventutis constans nec permanet aetas.
Omnia mors aufert, nil formam caeca pavescit.
Invenies aliam, casto quae iuncta cubili
optatos tecum procreet faecunda nepotes.
Parcite virgineum, vermes, arrodere corpus,
parce genas, tellus, rosei consumere vultus,

rugosae matres sint pabula vestra, senecta
aut quos annorum longo premit ordine patres.
Sed tua quae fuerint plura infortunia, narra.

Moeris

Bis fere commotis perii submersus in undis;
hoc miserum petiere caput pater Ister et Albis,
noster at ista Deus clemens nocitura repressit
numina, cui tellus, cui paret pontus et aether.
Huic memori semper persolvam pectore grates.
Sum quid adhuc gravius passus, sed nolo dolores
infandos renovare. Vides tot solus, Amynta,
praeteriti fueram concussus fluctibus anni.

Amyntas

Nil ita crudele est dictu sors saeva nec ulla est,
nullae sunt poenae, fabricat quas numinis ira,
illas quin superet natura humana ferendo.
Utile at insuave est homini patientia numen.
Fide Deo, talem tu naufragus arripe portum;
haec Cynosura reget surgenti in turbine puppes.
Iam mala, Moeri, tuo recites, quae publica dicis,
carmine. Pauca scio, sed plura audire iuvabit.
Incipe, nil posthac, ubi dixeris ista, rogabo.

Moeris

Non immensa canam, quae nescio, funera regum
regnorumve vices, heroum aut bella potentum,
quae volupe est hominum nunquam innotescere vulgo,
sed quos pastores, nemorum quas fata volucres
abstulerint lapso, repetam nunc versibus, anno.
Musa, meum carmen grato consperge liquore
divinisque laves incondita verba fluentis.
Principium Philomela fuit lugubre malorum,
mortua vitales cum laeta relinqueret auras.
Ver erat et viridis stabat iam frondibus arbor
umbrosisque comis ramos expansa superbos,
frigida iamque tepor volucrum liquefecerat ora,
ordine quaeque suos pulchro cecinere sonores,
clangebant sylvae. Sed cum Philomela periret,
sylva suos frondes, vocem retrahebat et ales.
Corticibus lacrymas arbor fundebat apertis

327—329 *marg.* 19. Aprilis in domino placide obdormivit dominus Philippus Melanchton

haec dans signa sui magni non frivola luctus.
Atrato rutilas velabant tegmine pennas
cultrices pietatis aves atque ungue cruento
vellebant plumas, hirti et palearia menti,
tristibus atque, heu, heu, gemuerunt, flebile, rostris.
Garrula deplorans Philomelam in vallibus Echo
edebat Philomela sonos, Philomela, nec ullas
praeterea voces lacrymoso effudit ab ore.
Fama sed ut fidas pastorum venit ad aures
vera piae apportans Philomelae funera, quantus
ortus ubique dolor, quantae insonuere querelae!
Custodem pecudum scio, qui resupinus in antro,
pasceret ut simas acclivi in rupe capellas,
tale sua carmen modulans tunc coepit avena,
quod repetam, docto gaudent pia carmine festa,
nec te poeniteat, digna est querimonia scitu,
audire et mage fit lux haec solennis, Amynta.
Occidit et nomen quoties ego dulce recordor,
ora piis lacrymis sudant, Philomela vadosum
Leucoreo quae laeta solo cantabat ad Albim.
Deliciae nemorum, summa usque ad sidera nota,
quae volucres docuit normatas iungere voces,
concinnum et resonare melos, iucunda deorum
quos unquam tacuit nec corde, nec ore, voluptas.
Quot variis volucres nemorum convallibus ortae
ad montis nivei sterile advenere cacumen,
ut, quos voce sonos Philomela arguta ciebat,
arripiant dociles iuvenili et pectore condant
atque pares studeant imitari in carmine vires.
Qui numerare volet, messis numerabit aristas
et coeli stellas et ponti in gurgite pisces.
Occidit in sylvis decus, heu, pastoribus ingens
solamenque mali. Viridi proiectus in umbra,
heu, quoties iacui, corylis circumdata densis
cum Philomela pias voces cantaret ad auras,
dulcis et hinc fessos quoties sopor obruit artus!
Immemor herbarum stabat maculosa iuvenca
semiesum patulo tenuitque in gutture gramen,
admirans parvo tantum esse in corpore robur,
exiguamque sonos tantos effundere linguam.
Tunc nemo inflatis pecudes in pascua duxit
utribus, altipetas capras agnosve petulcos,
carmine cuncta suo Philomela armenta vocabat,
quo tenuit summo suspensas monte capellas,

quo tonsas sibi iunxit oves rexitque sequaces.
Plus tunc lactis erat, lanarum maior acervus,
carminibus laetae pecudes per grata ruebant
pascua, ceu cantu saturas sic gramine nunquam
se fieri attentae, sic cogito, posse putabant,
tam distenta domum referebant ubera lacte.
Vespera ubi venit, tristantes rure relicto
verberibus cogens vix ad stabula alta reduxi.
Lucifer at primum cantare ubi coeperat ales,
est fragor exortus subito in praesepibus amplis,
ostia pulsa fero cornu ingemuere, frequenter
haec quoque confregit tot grex occursibus audax.
Mox igitur vili properans excedere lecto
saltantes pecudes etiam custodibus absque
emisi in campos longa procedere pompa.
O quoties memini foribus cum forte reclusis
astarem propius, cupidus numerare seorsim
egressas, certa et post intervalla, cohortes,
tunc petulans subito me incautum cornibus hircus
in coeni turpem trusit faetore lacunam,
ut facies et barba fimo polluta rigeret,
nec properans domino mea turba ingrata pepercit.
Tantus amor pecudum, nostrum et Philomela levamen
curarum fuerat, nec eam superesse dolemus.
Occidit et cantus, nostrae et pia musica sylvae,
harmonia et nostri cecidit dulcissima secli.
O utinam liceat nostris in montibus unquam
defunctae similem Philomelae audire volucrem!
Gramina secta vides turpissima sponte renasci,
mortua in authumno, post planta in vere resurgit
datque sequens flores, quos proximus abstulit annus.
Nostra reviviscat nobis Philomela, precamur.
Gloria sic campis et ruri prima rediret.
Talia cantanti subrepens lumina somnus
clausit et afflata refovebat membra quiete.
Deinde leonino pastor de robore dictus,
qua Bartpha intra altos scopulos velut altera Ulyssis
patria, conspicitur, tanti cum nuncia luctus
audisset, perit omne decus, dicebat, in altis
montibus, interiit sylvarum omne ornamentum.
Occidit, heu, volucrem vigilans Philomela magistra.

415—419 *marg.* Leonartus Stockhel rector scholae Bartphensis in domino placide obdormivit die 7. Iunii

Omnibus impendent, heu, quanta silentia sylvis!
Hac sine dulce nihil, grave vitam et pondus habebo.
Te, Philomela, sequar, tua consuetudo sub umbras
me trahet, aeternos simul ut vivamus in annos.
Dixit et est iecoris morbo correptus acuto,
quo post consumtus Bartphana excesserat urbe
laetus et aetheream coeli conscendit ad arcem.
Pannoniae cecidit flos, fama et gloria terrae.
Omnes, quos pecudum numerat gens illa magistros,
vicerat arte potens et docto carminis usu.
Lanigeras cum pavit oves, dux praevius agmen
commoda iucundo per pascua carmine duxit.
Cum lupus insidias timido struxisset ovili,
omne pecus timuit, pastorum turba timebat,
voce leonina solus deterruit hostem,
a caulisque lupos clamans arcebat obesos.
Sedulus agnellos, teneros curabat et haedos,
saepius expansis hoedum gestabat in ulnis.
Devia si qua greges properos neglexerat agna,
hanc, formidatus nil taedia longa viarum,
ad notum turbae numerum mox ipse reduxit.
Omnia vitabat magna contagia cura
innocuas quaerens cum pratis mollibus undas.
Voce lupos, vulpes terrebat voce dolosas,
saepe est gallinae prolem tutatus inermem,
nec passus vulpem clausis in cortibus unquam
grassari, vetuit clamans quoque vulturis omnes,
queis summo captat pullos ex aëre, fraudes.
Mellificas dilexit apes, alvearia circum
sole sub ardenti nova quando examina surgunt,
adfuit et cantu iuvenilia pectora mulsit,
ut patrias sedes teneant mirentur et artes
maiorum et primis illas imitentur ab annis.
Idem me docuit cera coniungere plures
cannas, ad numeros triviale et dicere carmen,
sicut et innumeris aliis hanc tradidit artem
gratis. Nil curae est fidis pastoribus aurum.
Pannonis ora dole, Bartphenses plangite campi,
funde tuas lacrymas Gepidarum florida tellus,
Transsylvana pias his Dacia iunge querelas,
vestros, Sauromatae vicini, ostendite luctus.
Ille leonino sumens de robore nomen
occidit, heu, vestris solamen ovilibus ingens.
Secla futura virum talem nec ferre putemus,

posterior magis hunc quondam admirabitur aetas,
illius memori laudabunt pectore nomen.
Ille, leonino qui robore nomen habebat,
quisquis erat, dicent, iunctis quam dulce cicutis
cantabat, sua adhuc gratum et dulcedine carmen,
sit bene defuncto, bene dulcia labra quiescant.
   Oceani Boreis terra est innata procellis,
quam Danus pugnax curvo diffindit aratro.
Hic Bordingus erat pastores clarior inter.
Si qua lues pecudes, si psora aut ulcera lento
vexabant stantes alta ad praesepia morbo,
plantas, quas medicos promtas servabat in usus,
attulit atque illas oleis, nunc unguine miscens,
pharmaca composuit, pecudum quibus abstulit omnem
morborum seriem, caulas quae tentat agrestes.
Hunc prior ante diem validum quoque sustulit aestas.
Pastores doleant, pinguis quos Dania nutrit.
Illorum si foeda lues iam septa veneno
imbuat et pecudes scabies infestet avara,
quis poterit morbi causas, quis pharmaca nosse?
Illa quis ignarus praestet cum laude? Peritos
vult medicina viros, tamen hi quoque saepius errant.
   Occidit et pulchri pascens ad flumina Nicri
Lotichius, doctum semper cantare paratus,
testantur Nicer et Rhenus, duo numina, carmen.
Nunc has, nunc alias multa dulcedine voces
repperit, ut iuvenem mirata sit Itala tellus,
dixerit atque dolens: Non hoc Germania potax
digna unquam pastore fuit. Mala lingua futuro
vati mox nocuit, nocuerunt fascina vati.
Baccare quis frontem poterat cinxisse decoram,
immatura suo ne atroces ense sorores
Lotichii, sed post quid consulo, fila secarent.
Huic invicta suas tribuit quoque Gallia laudes,
moribus, ingeniove magis sit amandus an arte,
dicere non potuit Germanae gloria gentis
maxima, dixit, eris, tibi prospera fata precamur.
Teutonia attentas cantanti praebuit aures;
illius ad voces et mortua tota revixit;
Lotichii aeternum celebrabit et ardua nomen.
Lotichii in auratis pendebit fistula templis

473—477 *marg.* Iacobus Bordingus medicus placide in domino obdormivit die 5. Augusti
488—491 *marg.* Petrus Lotichius Secundus placide obdormivit die 7. Novembris

et suus hic praestandus honos non desinet unquam
Lotichiumque suum Germania tollet ad astra.
Heu mihi, cum caneret, mirum, pecus omne stupebat;
hoedulus et dulci dependens ubere matris,
ubere neglecto cupidis inspexit ocellis
cantantem et patula materni oblitus amoris
aure sonos hausit nec ab hoc cantante recessit.
Nec solum cantu, fuit et medicamine clarus.
Morbis infectum cum saepe audivit ovile,
pharmaca Apollinea felix commiscuit arte
e stabulisque luem discedere fecit atrocem.
Est ut Apollo lyrae simul et medicaminis author,
arte in utraque potens, sic iure secundus Apollo
Lotichius dici et proles Phoebeia meretur.
Ceu favus huic dulci carmen manabat ab ore
Gratiae et hoc nitido formabant rore politum,
adfuit ipsa Venus, quae carmen amabile reddens
aspersit faciles mixta gravitate lepores.
Quae medici norunt penetralia, cuncta subivit,
pastorum multi quae nec per somnia cernunt.
Occidit, at lacrymis sine quis canat illa, Medusae
si quoque vel vultus, oculos habeatve minaces?
Occidit, heu, placidi laus exoptata Viadri,
qua vada Francorum tribuerunt nomina terrae.
Agricola, antiqua nomen de gente Sabina
usurpans, tuus interiit iam, Marchia, alumnus,
illud et externis multum admirabile lumen.
Italicas fuerat missus legatus in oras,
hausit ubi infelix febrilis lenta veneni
semina, quae, quarto redeuntia sole, medullas
ossa intra lacerant saevo exuguntque rigore.
Hinc aeger casulae parva ad sua limina vectus
invenit moestam moesta cum coniuge prolem.
Absentem doluere, magis doluere reversum;
tantus in exhausto serpebat corpore languor;
pallida labra, labris nudos, cava lumina, dentes,
denique cuncta vident, tristes, exanguia membra.
Devovet Italiam coniunx cum prole, maritum
et longa infectum quae reddat tabe parentem.
Pharmaca multa parant, medicis quae saepe probata
ante fuere, prius quibus atque in corpora robur
vivificum rediit. Sed nil medicamina prosunt,

526—529 *marg.* Georgius Sabinus placide in domino obdormivit die 2. Decembris

cum mora longa malum damnis gravioribus auxit
et natura iacet vires exuta priores.
Hoc misero gaudens excessit carcere vitae,
certus in aeternae patriam transire salutis,
certus et immensa coeli ditione potiri.
Occidit Aonidum cura, ignis, vita sororum,
Gorgonei cui iubar equi dedit inclyta Pallas.
Addidit et frenum gemmis auroque decorum,
multa subinde monens, quo colla superba gubernet
ordine, ne incautum sessorem Pegasus audax
tergore deiiciat, vagus et discurset in orbe.
Paruit hortanti iuvenis, conscendit et altum
numine fretus equum celeremque invertit in orbem
calcare nil usus, magnis nec viribus ullis
conscensum solis animal cicurabat habenis.
Insessore suo gaudens Neptunia proles
frena ferox agili spumantia mandit in ore,
ungula et instabilem calcans dispergit arenam,
unde suos sumsit felix Germania fontes,
qui vitreis nostros humectant amnibus agros
flumina et aeterno pariunt ingentia fluxu.
Fonticulos tales est Marchia nacta salubres,
multa et in his terris iam cernitur Hippocrene,
calce suo meruit nobis quas arduus omnes
Pegasus undarum dotes rectore Sabino.
Cuius ubi audivit mellitas ore fluentes
voces, aethereas acer conscendit in auras
et variis equitem terris monstrabat ab alto.
Tanta erat illius divino in carmine virtus,
tam bene concinnis carmen fundebat avenis.
Ut levis in summas nubes dum surgit alauda,
indefessa suo cantu, indefessa volatu,
ruricolam exhilarat, fessos instaurat arantes,
impigre ut curvum laeti sectentur aratrum
atque alacres viridi findant in cespite sulcos.
Ipsos voce boves mirum gaudere volantis
nec iuga prima putant collis pendere subactis,
pendere ceu vacui sed herilia rura pererrant.
Sic ager omnis erat laetus cantante Sabino.
Hic quoties iuncta cantabat arundine carmen
ad vada considens lenti piscosa Viadri,
unda suas oblita vias (audire putaret
labentes quis aquas?) ceu saxum immobile stabat.
Stabant et pulchris stringebant littora pinnis,

conspicui frontem vocis dulcedine pisces.
Ad numeros duxere suas armenta choreas
et dominum circa grex signato orbe cucurrit,
vicinae in ripae quem ludere sivit arena.
Agricolae latis tunc incubuere lacertis,
ferrea visa fuit tunc pluma in vomere moles,
ullus arare labor duris nec creditus arvis.
Indefessa boves colla ad praesepe ferebant
invitosque domum vix a cantante retraxit,
carmine sic tauri delectabantur, arator.
Invitus summo Phoebus quoque cessit Olympo,
cum caneret, terrae celeres devovit et umbras.
Pegasus auscultans salientes calcibus amnes
interea effodit, dominus se fonte lavabat
Pegaseo atque sitim notis sedabat in undis.
Hoc fera mors miseros spoliavit munere cives.
Nunc silet omnis ager lamentans fata Sabini
pastoresque gemunt lugubre in montibus altis
rustica et infelix nunc "heu, heu" fistula plorat.
   Haec mala praeteritus moestis ambagibus annus
attulit. Ah, similis veniat post nullus, Amynta!
Mutas efficerent omnes tot funera sylvas
dulcis et in nostris cessaret Musica campis.
Nam paucae volucres, pastorum turba pusilla,
concordi veteres imitantur pectore Musas
ac patrium sancto repetunt conamine carmen.
Maior in antiquo pietas et gratia cantu.
Magna sed obscoenas quae fingat copia voces,
quam furiae extimulant, cuius sub labra venenum
et gladios acres flammas abduntque rapaces.
Miror et haud mecum tu non miraris, Amynta,
cur fortuna bonis semper contraria spiret
et quo res peior, magis hanc sors laeta secundet.
Sollicitor non esse Deum, sint irrita fassa,
credere, qui aequali trutinet mortalia lance.
Cuncta ruunt casu. Quis enim Deus omnia curet?
Aut quis in has terrae sordes pertaesus Olympi
caelicola inspiciat? Supremis infima sordent.
Si superis haec cura foret, Philomela maneret,
carmine quae fecit celebres hominesque deosque;
et cuculum validis auferrent fata catenis,
qui sua materno fraterno et sanguine tinxit,
tingit adhuc volucrum teneris ex artubus ora,
quae tamen ut multo nutriantur sanguine pallent.

Nunc sua nota videns anteactae crimina vitae
induit accipitris formam et vim fraudibus addit
accipitrumque genus firmo sibi foedere iungit.
Iamque dolis misero victam stridore cruentat
saevus avem, turpi pia viscera tradet et alvo,
ni Deus ipse suae torvum alitis opprimat hostem.
Si Deus est, ut et est, scelus hoc cur tempore tanto
in sylvis volucres sinit extirpare canoras,
nec scelerata feris punit tot crimina poenis?
Aut fortasse manet fatorum immobilis ordo,
legibus et fixis mundana haec stantque caduntque,
nostrum, quod nolim, nec erit mens libera numen.

Amyntas

Continuis animi fluitant erroribus aegri.
Desine, diversa est tua eis sententia dictis.
Quam pia templa sonant, nobis divina parentis
sufficit (An dubitas patris de voce?) voluntas.
Talia ne in sacris dici congressibus audis?
Crede Deo, verax sibi non contraria sentit.
Erepta est Philomela, avium regina piarum,
occidit e nostris flos et pastoribus omnis,
spreta ovium cultura iacet, non ullus aratro
dignus habetur honos, exculta novalia squallent,
sublatosque vocant, vana sed voce, colonos.
Interea cuculus sylvas ululatibus implet
et spoliis volucrum furtivos irrigat artus.
Impia pastorum tetras per compita voces
turba serit, blasphema Deo nec parcit, ut altas
ipse domos habitet clemens et cuncta gubernet.
Ista putans casu fieri aut fataliter erras,
Moeri, regit totum Deus, ut quoque condidit, orbem.
Ira Dei gressu lente procedit anili,
serior ut gravior poenis atque implicat orbem.
Grandia grandi etiam poena delicta piantur.
Excelsa sedem numen sibi legit in arce,
omnia ut inspiciat vigilanti lumine vindex.
Mensae ut erat nostrae nuper conviva sacerdos,
cui nos divinae curam commisimus aedis.
Haec nova pro veris me posse aiebat habere,
quae si scire cupis, repetam. Plaustra ampla parari
poenarum cuculo tute ipse fatebere, Moeri.

653 Crede, Credo

Unde sed has habeat, nolebat dicere, voces.
Hoc scio, quod nunquam fallax mendacia spargat.

Moeris

Delectantur apes cytiso, alta fronde capellae,
gramina currenti gaudent crescentia rivo,
gauderem, cuculum mihi quis si cantet ad aures
ex salice elatum tandem cecidisse cavata
et sua maturasse illum sibi funera fune.
Sed, tibi, quae dicis tunc esse audita, recense.

Amyntas

Est nemus Elysiis vicinum nobile campis,
paciferae qua stant oleae, qua palma gravatos
victrix deliciis protrudit in aëra ramos,
qua procera suas uvis turgentibus ulmus
vites pampineas spatiosa protegit umbra,
qua rosa luxurians dulci spiramine surgit,
qua violae blandae, qua dulcis amaracus amplam
vestit humum et semper beneolentes fundit odores,
qua laurus myrtusque virent, qua pulchra susurro
unda fluit molli camposque aspergit opacos.
Huc vigilans anser Gabretae natus ad alta
culmina migravit, migrarunt huc quoque Cycnus
inclytus et sylvas habitans Philomela comatas,
huc aliae debent sanctae migrare volucres,
huc sapiens veniet cano iam corpore Cornix,
huc veniet spinis habitatis libera Acanthis,
hic etiam doctae locus est signatus Alaudae.
Ad nemus assurgit collis, sub valle propinqua
pastorum pia turba sedet, qui carmine divos
vivi laudarunt, laudant tellure reposti,
cincti aramanthaeis iuvenilia tempora sertis.
Carmine dulcisono respondent agmina sylvae
aligera, exhilarat reliquos haec Musica manes,
qui campos habitant et rura beata peragrant.
Fervet ubi praeceps diris sed Tartarus undis
Titaneosque feros turpi in foetore volutat.
Hic nemus est piceis ramis insigne, rubentes
quos peredunt flammae, crepitans ubi pascitur ignis.
Immundas hoc claudet aves, hoc semper iniquas
audiet insuavi crocitantes ore volucres.
Vulgares cuculo non hi debentur honores.
Urna stetit triplici multum concussa senatu,

quo Ditis varias componit curia lites,
quaesitumque scelus cuculi quo grande piari
possit supplicio, dubias nova crimina mentes
iudicibus faciunt varie et sententia nutat.
Concludunt tandem Furiarum munera trina
deberi cuculo, sceleri quia sufficit unus,
Hungarici spoliis cum sit ditissimus auri
praemia nulla petens infernae et serviet aulae.
Hinc ea lugubris rerum quam forma videtis,
anguicomae extrudunt sua firma venena sorores
certatim, terris altum nunc aethera miscent,
ne quid inexhaustum veniens successor adiret,
qui superare volet solita ambitione remotas
divas atque aulae pomposos quaeret amores.
Venturi cuculi totus formidine languet
portitor ipse Charon, metuens vectare carina
corpus adhuc vivum, scelera ista et mole gravatum.
Iam trepidant animae Cocyti ad flumina stantes,
in cymbamque ruunt, veniens ne proterat istas
acipitro cuculus, quarum antea corpora diris
prenderit innocua et misere discerpserit hamis.
Det Deus, ut tanto tandem sit libera monstro
terra, nec hanc unquam similis post calcet alastor!
Haec tunc ille mihi, iurans ad singula, dixit,
et credo, ast malim certo iam credita nosse.

Moeris

Audieram quoque tale aliquid, si rite recordor.
Fatidici sunt haec, mihi crede, oracula vatis,
nec vana esse solet, multi quam, fama, fatentur.
Ah, utinam cuculus tota cum stirpe periret!
Sic prior in sacros remigraret Musica lucos
pastoresque pium repetita carmen avena
cantarent, prior et pecudum cultura rediret.

Amyntas

Frustra vota facis, sua semina multa relinquet
sublatus cuculus. Mala vel sine semine durant.
Summus ubi iudex immensi venerit orbis,
tunc cuculina ruet socio cum foedere proles.
Sed nunc, Moeri, vale, nostram proficiscor in urbem,

739 ille, illa

haec ubi, si possunt, renovari rastra iubebo.
Et ferrum longo validum consumitur usu.

Moeris

Hanc mecum maneas angusto in culmine noctem!
Sol defessus equos solito iam flumine merget,
iam redit ad mulctram pecus, en, quanta ubera vaccae!
Immensamque tui non cernis corporis umbram?
Nuper ut enixa est geminos macilenta capella,
ne matri ebiberent omnes e corpore vires,
unum mactavi, quem mox assabimus, haedum.
Adiungam dulcis, lactucas, pabula somni.
Est mihi praeterea verni ingens copia lactis
caseolusque recens, sed vini pocula desunt,
hordea nunc potum faciunt, quem, cocta, bibamus!

Amyntas

Otia cum fuerint maiora aliquando, manebo.
Nuper in obscuris mihi visa est area spinis
frugifera, hanc rastris et grandi purgo ligone.
Scis quoque, quam multum domini praesentia prosit;
ad famulos cogar summo cras mane reverti.

Moeris

Vicinae ergo cave, ne pons notissimus, undae
te laedat, multis inopini est causa pericli.
Transgrediens misere fregit crura ambo colonus
vicinus noster, quo non tibi notior alter.
Hic sua iniqua domi conclusus vulnera deflet.
Spem medici exiguam dicunt superesse salutis,
ingens namque gravat totum inflammatio corpus.
Hunc super incedens casum est quoque passus acerbum,
simplicitatis amans, observantissimus aequi,
antiquus pastor, curis oneratus et annis,
cui coniunx foecunda super, sed egena, columbam,
innumeram peperit, vegeta omnia corpora, prolem.
Hic curvae afflixit nervosa volumina spinae
atque cadens dixit: Nisi mortuus immemor huius
lapsus et pontis nunquam potero esse maligni.
Huic temere infido noli te credere ponti!

Amyntas

Cautus ero, praevisa minus quem spicula laedunt.
Quid domini faciunt? Non haec iniuria pontis

sic neglecta foret melior, dum curreret aetas.
Iniusta a nobis quid vectigalia sumunt?
Moeri, vale, sua sat quemvis si cura fatiget.

19. Aprilis. Anno 1561.

## VI. ΠΡΟΠΕΜΠΤΙΚΟΝ REVERENDO VIRO, DOMINO M⟨AGISTRO⟩ AMBROSIO STUBNERO SCHEMNICENSI, VITEBERGA DISCEDENTI, SCRIPTUM AB AMICO ET POPULARI SUO, M⟨AGISTRO⟩ GEORGIO PURKIRCHER

Inter Pannoniae meretur urbes
laudem Schemnicium celebriores.
Urbs est, pars scopulis inhaeret altis,
queis se Carpathus elevat superbe,
pars est praecipiti petenda valle
et declivibus e iugis aditur.
Templa Euangelium sonant sacrata,
nobis quod λόγος e sinu parentis
aeterni tulit et sacris in undis
infans abluitur, fames adulti
et pane et satiatur immolato
Christi corpore, sic sitis domatur
Christi sanguine, vina quem figurant,
fiunt inter ut illa Christianos.
Paret legibus ima plebs honestis,
quas sancit pius et colit senatus.
Extra urbem rutilans in excavatis
rimatur scopulis latenter aurum
cantillans agili ligone fossor,
argenti et puteos fodit profundos,
et multos alios, quibus metallum
extractum varium beat colonos.
Haec, Stubnere, tua est, ubi has in auras
es natus, patria, huic tuam ministras
cur non gratus opem? Quid ad Borussos
Arctoos properas? Nives perennes
immensumque gelu pati quid optas?
Dulcis pocula non erunt Falerni,
quae dat Schemnicium, paterna tellus,

sed coctum e lupulo et rudi polenta
spumosum sitiens bibes liquorem.
Infensus patriam premit Balahus
ac verbi exilio gravat ministros.
Verum. Crede tuos et hinc ad Arcton
progressos Styge senties Balahos.
Turcos in patria truces timeres,
hic Mosci timeas feram tyrannim.
Sed nos mira Dei regit voluntas,
qua cuivis statio sua annotatur.
Hinc tu Pannonius coles Borussas
oras advena, Pannonis Borussa
iungeturque viri thoro puella.
Ergo prosper eas et intra amicas,
quas iussit Gedanum patere, portas
et Christi doceas tenellum ovile,
sancte, et moribus imbuas modestis.
Sic te Christus amet, tua et secundet
coepta et flamine te sacro gubernet.
Ergo prosper eas, amesque amantem
toto pectore te tuum Georgum.

## VII. AD DIVUM MAX⟨IMUM⟩ AEMYLIANUM, ROMANORUM ET BOIEMIAE REGEM PSALMUS LXXII. DA, DEUS, REGI IUDICIA TUA ETC.

### 1. Argumentum Psalmi LXXII.

Innumeris regni curis defunctus et annis
iam gravior David Solomoni prospera nato
omnia vatidico, quo claruit, ore precatur.
Sic sua Fernandus senior regnique laborum
pertaesus dulci pro nato haud irrita vota
fundit et extendit iustas ad sidera palmas.
Spes Solomon patrias, grata haec victoria, vicit.
Pacis amans, iustus, reges sapientior inter,
non sua ceu genitor bellorum sceptra cruore
polluit, hinc sumtu pretiosum atque arte superbum
sic mandante Deo templum construxit, ut ante
multifide cultus superum laceratus in istis
idem perduret iam sedibus, unius una
templi relligio mentes quoque procreet unas.

Nonne tuis, Fernande pater, succedere votis
cuncta vides? Rebus sua spes non sufficit, aequum
cerne tuum natum, sapientem, pacis amantem.
Auferet hic sectas e relligione profanas,
consilium monstrante Deo, Deus unus ut una
unitis animis hominum pietate colatur.
Maximus ergo inter reges caput exeret omnes.
Desine plura, pater, votis contendere! Maius
optandum nihil est quam relligio una per orbem.

## 2. Psalmus LXXII.

Deus, qui totius gubernas fabricam
  et iuste cuncta iudicas,
doce tuas in iudicando regulas
  regem inter omnes Maximum,
tui sacras et explica voluminis
  leges puello regio.
Fac, ut rex cum suae stirpis propagine
  sanctis tribunal coelitus
a te sibi prae relliquis mortalibus
  regat statutis creditum.
Tuos ut a te, qui, gementes pauperes,
  opem requirunt, liberet,
iniqui eos dum iudicis sententia
  cruenta insontes opprimit.
En, audiit Deus preces iam supplicis.
  En, ut regem nunc expolit!
Omnes, sub hoc quot estis rege, principes,
  amate pacis foedera
et intra vos iustis certate subditi
  frui palam commerciis!
Videtis, ut rex vester ipse Maximus
  amet salutem pauperis!
Ut illum cum casae imbelli plebecula
  lubens tueri gaudeat!
Ut hostes, abditis eum calumniis
  qui persequuntur, conterat!
Iacet suis per ipsum exuta viribus
  inermis iam calumnia.
Id omne fit, Deus, te dante gratiam,
  his tu bonis cor regium

decorasti. Quis ergo iam mortalium
te non timebit? Ut suas
vias Sol, Luna semper impigre ruunt,
tui sic omne seculum
timore flagrabit, suis te laudibus
colent omnes cum iubilo.
Quid at de rege iam meo recenseam,
ut eius indicem bona,
vel unde sumsero decens exordium,
quis ora, linguas quis dabit?
Ut imber in recens demessum falcibus,
ex nubibus cum decidit,
agrum, vel ut ros languidas siti aspera
ubi irrigavit herbulas,
virenti tunc humus superbit gramine
suos et fructus parturit,
ita omnia hoc florebunt rege prospere.
Nova in regno felicitas
abunde surget, omnium res civium
foris domique augebitur.
Ruent doli, deinceps iure amabilem
agent vitam omnes mutuo.
Honos armorum nullus, en pax publica
quietem gignet omnibus.
Pax uniet desiderata ecclesiam,
votis Deum concordibus
colet nec humano deinceps sanguine
unquam contaminabitur.
Et si polum nitentem Luna deserat
nec luce tingat aethera,
tamen suo pax ista stabit robore
et posse solvi nesciet.
Ab uno ad alterum maris rex terminum
pulchro imperabit ordine.
Hunc Aetiops verebitur regem extimus,
orbis colent hunc limites.
Hostes, quos insolentes ante viderat,
videbit ad se supplices
venire, humi prostratos et iam serio
iugum exoptare regium.
Maris reges et insularum territi
ferent huic dona plurima.
Ei ducent Sabae reges et Arrabes
camelos auri pondere

onustos, hunc omnes in orbe cognito
ad astra reges efferent.
Et usquam quicquid invenitur gentium,
huic non coactum serviet.
Sed unde tanta vis amoris incipit
in omnibus? Nil rarius
vel frigidum magis regum quam gratia
in omnium praecordiis.
Novus favor. Videre ceu rex omnium
in paupertate agentium
misertus est, videre ut in certamine
contenderint acerrimo,
hinc pauper, isthinc turgidus potentia.
Suos hic aere iudices
avaros fecit atque armis ferocibus
se contra acturos terruit.
Stetit pauper nec ullius suffragium
habebat, conscientia
et ipsum se causa erigebat optima.
Reus potens absolvitur
et insons pauper ut reus producitur
poenas daturus criminis.
En ultro rex adest, necandum liberat,
potens poenas dat improbus.
Hinc omnium celebratur rex vocibus.
Amabiles amor facit.
Iam semper pauperi patrocinabitur
opem ferens in tempore.
Ut aeternum Deo vivat, coelestia
docebit ipsum dogmata
et quo sit ad coelos eundum tramite,
ratem quae stella dirigat.
A turpi irretitum dolose foenore
salvabit et tuebitur.
Ex foeneratorum profundo carcere
ceu foetidis ab inferis
turbas misellas eruet, nil sanguine
earum maius aestimans.
Suadebit ad cruenta nunquam classica,
ne se cruore polluat
suorum, providebit unice, metu
iusto extimescet praelia.
In aula regia pauper ceu satrapa
cum rege vivet libere.

Eum rex auro copioso divitem
   reddet, pro rege desinet
nec ipse unquam preces ad astra fundere,
   regi optime precabitur.
Ad pauperis Deus suspiria advolat
   et eius vota diligit.
Hinc in regno beata cuncta cernere
   licebit. Arduis sata
colonus in iugis superbus montium
   metet ceu valle fertili.
Ut in sylvis procerae summis arbores
   sonant adactae flatibus,
seges culmis ita inter se sublimibus
   laetis strepet messoribus.
Abundabit bonis iam quaeque civitas
   eo regnante civibus,
ut in campis abunde sunt virentibus
   pares decore flosculi.
En ut sonora vox vias et compita
   pererrat, en pium melos,
en audio. Bene, o, regi sit Maximo,
   bene et regis sit nomini.
Sequentibus suas laudes aetatibus
   rex iste habebit integras.
Abibit ut rubente nunquam fulgidus
   Olympi Phoebus orbita,
sed insito manebit ardens lumine,
   lucebit orbi et unicus,
sic istius non interibit gloria
   regis nec ulla amplissimum
hoc obscurare nox honorum incendium
   apud valebit posteros.
Bene hunc propter regem sibi esse sentient
   omnes, quot orbis, anguli
habet, gens omnis istum Maximum
   regem una voce concinet
regem pium, fortem, benignum, Αιμύλιον,
   ceu nomine et re Maximum.
Deus laudetur, ipse enim solus facit
   nostris stupenda mentibus.
Dat et regem bonis decorum insignibus
   et hoc beat nos munere.

In aeternum Deus tibi sint dedita
et cuncta te colant loca.
Tuo repleto nos perenni spiritu,
homo ut te solum praedicet.

## VIII. DIVO MAX⟨IMO⟩ AEMYLIANO, PRIMO PANNONIORUM REGI ETC. SACER ARISTAEUS PISONIENSIS

Piso pater, cuius fundata haec moenia nutu
nunc quoque grata tuis titulis et nomine gaudent,
aspice (Divorum interea sed desere turbas
et quibus heroum frueris subsellia linque),
aspice, sublimes in terram deiice vultus.
Urbs tua (non equidem credo sine numine divum)
fortunata, alias inter sic eminet urbes,
ceu dumos superant frondosae robora quercus
iamque suas laudes aequari sentit Olympo.
Pannoniae invictis clarum diadema smaragdis
dedicat exultans regi, qui maximus omnes
est alios inter tam re quam nomine reges.
Non est exactis duodenis mensibus annus,
nec dum Phoebus equis totum coeli ambiit axem,
hic Boiema tulit regni praesente corona
sceptra, ubi Praha vagas Moldae circumiacet undas.
Postea Francorum cum moenia prisca subiret,
ecce, electorum sancto de more senatus
adfuit, e septem facta est atque una voluntas,
qui rex Boiema novus est in sede locatus,
Romanos regat et fasces Romanaque iura
asserat, aut armis, aut pace, ut tempora poscent.
Testis erit Moenus, qui quando unita videbat
omnia vota patrum, regi bona multa precatus,
mox caput undoso laetum sub gurgite mersit.
Tertia Pannoniae nunc sunt quae sceptra capessit;
haec licet innumeri, tamen uno Pannones ore
attribuuntque novum regem vox una salutat.
Felix auspicium felicem denique regem,
candida quem iustis decorat Concordia votis,

15–16 *marg.* An. 1562. 20. Septem.
20 *marg.* 30. Novem.

cui pax alma viam regnorum ad culmina sternit.
Aspice, Piso pater, tua clemens moenia lustra,
huc ades atque novum laetus complectere regem!
Sumet et iste Deum vitam, ceu Maximus olim
Aemyliusque tui cives, quos inclyta vatum
musa canit, magnae duo propugnacula Romae.
Nunc sua Pannoniae comportent munera cives
gratenturque novo linguis et pectore regi.
Ipse etiam nostri tuguri et viridantis agelli
delitias et dona feram, quae saepe rogando
nobilium turbae pretium sibi quilibet auget.
Nil vestra aera moror, regi donabimus ista,
respondi, sunt rege novo tanquam Iove digna.
Salve, Pannoniae decus, et, rex Maxime, salve!
Tu ductu superum patriis et laudibus amplam
Maximus excelsum profers super aethera famam.
Tu titulis orbem totum regalibus ornas,
te regat in trino Deus unum nomine numen,
otia seu pacis duro sine milite vives,
vel dum Christiadum pro relligione sacratos
in pia vibrabis bella imperterritus enses,
absque Deo felix nihil est et in orbe beatum.
Fortunate alios inter rex Maxime reges,
unus cui tria regna dedit non integer annus
seditione procul, procul atro absente tumultu,
hos tibi porto favos nostris alvearibus ortos,
parva quidem tamen haec summorum dona deorum.
Spicea serta Ceres gravidis haec cinxit aristis,
pampineas Bacchus pater has superaddidit umbras,
laeta Pales flores suavesque intexuit herbas,
fronde suos Fauni picto testantur amores,
hos Nymphae teneros roseae aspersere liquores.
Tempus erat, memini, cum plurima mella per omnes
Pannoniae campos pastorum turba legebat.
Saepe ubi longinquis fessus veniebat ab oris
Pannoniae audita florentis laude viator,
et cum vidit apes, vidit purissima mella
cum cerae immenso beneolentis pondere fundi,
attonitus stetit et patulis vox faucibus haesit.
Postea cum dubiam vicit res agnita mentem,
Pannoniae laudes per longa exordia coepit
dicere et ista domum miracula visa reduxit.
Omnia nunc votis nostris contraria currunt,
nos contra infenso fertur Dea coeca furore.

Rara per apricos videas examina campos,
omnia crabronum rapidis sunt diruta praedis.
Intoleranda gravat tantum nostra arva tyrannis.
Si numerare voles alvearia pauca supersunt
integra, crabronum quae non exercitus unquam
laeserit, aut saevis interturbaverit armis.
Plurima sunt contra innocuis orbata colonis
et cernuntur adhuc dirae vestigia cladis,
multa ubi grandaevos patres gens saeva peremit.
At parvis apibus, caeca caligine mersis,
non furor hostilis, sua sed sors aequa pepercit,
hae tacito in vacuis tectis se murmure produnt
ignarae, an patrum lugubria funera curent,
aut nova, desertas operas, patrimonia tractent.
Sic dubiae interea trepidant imbellibus alis.
Non aliter (si parva licet componere magnis)
quam, cum devictam miles ferus irruit arcem,
obvia crudeli ferro mox omnia vastans
hostiles animas inimico e corpore solvit.
Solus at, ecce, tener sua quem cunabula claudunt,
incolumis tantis manet in fervoribus infans
vulneribusque novis offensa puerpera mater.
Mater sollicita quid tunc in mente volutat?
Natorum ne prius curet vel saeva mariti
funera, in effuso iam semisepulta cruore?
An salvi nati lacrymis applaudat? Iniquas
anne suo foveat languenti in corpore plagas?
Deserta interea terrores duplicat aula,
et timet occultos mulier, sola, aegra latrones.
Postea sunt ducibus viduata alvearia multa,
hic opus inceptum bella ob civilia pendet,
dum caput inter se varia ambitione requirunt,
quod tamen in saevi crabronis vertitur escam.
  Quos habui pingues duro hoc in tempore tauros,
mactavi, sic florilegam sarcire ruinam
exoptans, nec me spes tanquam certa fefellit,
nam liquefacta novam genuerunt viscera pubem.
Sed crabrone statim torvo respublica surgens
turbata in teneris omnis simul interiit annis.
Haec etiam agricolas reliquos incommoda torquent.
Nec tauri nec apes iam nostro in rure videntur.
  Si bellator equus, fama est, tellure putrescat,
inde ferox telis crabro mordacibus exit.
Acer equus nunquam tauro est iniurius. Unde

crabrones et apes bellum implacabile vexat?
An natura minus parvis animalibus aequa
degeneres tantum producit in aera partus?
Saepe et apes sua castra locant et praelia tentant
crabrones contra, sed eis victoria nunquam
expectata venit, numero et quoque robore victis.
Interea dum saeva ruunt ad classica fortes
et magnis animis, sed vi, sorte impare pugnant,
ignavi fuci plena ad praesepia dulci
nectare se replent furtivo et melle saginant.
Crescit et hic numerus, duplex nos numinis ira
offensi insequitur rigidis horrenda flagellis.
Omnia, quae tales perhibentur tollere pestes,
tentamus frustra, non est medicabile damnum,
nec nostrae prosunt expertae pluribus artes.
Non desunt sedes apibus. Quid Pannonis ora
est nisi luxurians et mundi fructifer hortus?
Huc sibi delitias omnes natura coegit:
sunt liquidi fontes, sunt stagna virentia musco,
sunt placidis undis lambentes gramina rivi,
turgentes adsunt grata dulcedine flores,
rivulus e vitreo iucundis fonte susurris
profluit in nostros hortos et prata pererrat
leniter, ut somnum fesso mihi saepe sub umbra
conciliet, nil est, apibus quod desit alendis.
Si modo crabronum funesta potentia frangi
possit et a stupidis sua tolli ignavia fucis.
Hic tu ruricolis miseris, Rex inclyte clemens,
adsis, affer opem fractis et consule rebus.
Aut certe omnis apum misere cultura peribit
et sua Pannoniae deerunt, heu, roscida mella.
Omnia respondent consulta oracula vatum:
armis est quaerenda salus, arma arma parentur,
Maximus, hos, regum, fati sic postulat ordo,
hostes Pannoniae superatos limite pellet.
Adsis, te, rex, fata vocant, rex Maxmyliane,
te tua sors optat, rex Maxime, te magni dii,
adsis nec querulas pastorum despice voces!
Principis est virtus ingens sua rura tueri.
Sic te summus amet divum, qui praesidet astris,
sic tibi dilectam prolem cum coniuge dulci

119 crabrones, crabones

servet, sic patrem, fratres regat atque sorores,
sic tibi regnandi tranquillas commodet artes!
Haec mea prolixis ad rustica munera verbis
proposui, linguas format mens aegra loquaces
et quia, vicinos testor, Rex Maxime, multis
questibus audivi te non offendere quenquam
agricolam, tibi nec ruris sordere loquelas.
Maximus es, sed parva probas vere Aemylianus.
Vive, vale, felix augusto numine divum,
Maxime rex, pacata tuis sint tempora regnis,
Pannoniae redeant duce te sua pristina mella!
Laeta tuis subter moestum caput erigat alis,
ceu pipiens ales matrem subrepit inermem,
accipiter coelo donec spaciatur aperto.
Cum caret at nocuis tranquillus fraudibus aether,
rursus ab obscuris alacer se proripit umbris,
gestit et a tantis liber cum matre periclis.
Vive, vale, rex, pastores nec sperne fideles!
Quis fragor exoritur? Venientis murmura turbae
audio. Sexaginta aliis comitantibus undis
fluviorum rex Danubius, videsne, huc adventat?
Auratas vestes humeris ostentat ut altis,
canitiem pulchram tenui discrevit ut auro,
maiestas quam grata Dei, quam fronte serena
ingreditur? Sapidis affert marionibus agmen
(Husones hodie asueta vocat incola voce)
prae reliquis fluviis hoc solus pisce triumphans.
Advenit et Dravus salebroso et vortice Savus,
auratosque vehunt vada per resonantia pisces.
His se piscosus comitem pulchro ore Tibiscus
praebet et innumeros pisces, vastissima cuncta
corpora, inexhausto sparsim diffundit ab alveo.
Ad latera incedunt Granus, Vagus et bene priscis
notus, Pannonias dirimendo, Narrabo seclis,
et Chryseus auri rutilis adamatus arenis.
Quid memorem reliquos, quorum longissima pompa
et sua piscosum genus omnes munera portant?
Purpureo adveheris rutilans quoque viscere, Salmo,
delitiae regum, prima inter gloria pisces.
Carpathus, ecce, senex ad regia tecta propinquat
passibus obscuris, caput inter nubila condens,
curvus et aethereum sustentans vertice coelum.
Hunc cingunt varii, saxosa cacumina, montes.
Quid trahit hic secum, quantus se prodit acervus

liventis plumbi? Quid mirum, cernitur aeris
non Cyprii, quanto argenti se pondere iactat
inclytus, et puro dives sese ingerit auro,
auro non unquam artificis quod pertulit ignes,
sed natura potens, solitis conflavit in antris?
Auriferos gestat squallenti et tergore rivos,
parte alia varias humana ad commoda thermas.
Haec Colchis non una tibi sed vellera plura
aurea suppeditat, Tagus hic non aureus unus,
Pactoli plures, dat Carpathus omnia solus,
quae tantum celebrat diversa in sede vetustas.
Discedam, quid enim tanta inter numina pauper
rusticus hic aliud faceret, quam garrulus anser
carmine laudatos nunquam satis inter olores?

# IX. DIVI FERDINANDI I., ROMANORUM IMPERATORIS ET HUNGARIAE REGIS ETC. MANIBUS SACRUM PANNONIA LUGENS

## 1. Echo

Ferdinande, iaces, tua mors quid parturit? E. urit.
Hinc fera num surgent praelia reris? E. Ἔρις.
Interregna nocent, regem conquirite, E. rite.
cui mens pro patria sit generosa. E. rosa.
Iam patris in natum titulus delabitur, E. itur,
Maxmyliane, patrem te tuba clamat. E. amat.
Credimus in nato genitorem vivere. E. vere.
Dii, tales reges suppeditate. E. date.
Hoc duce Turca latro quid fiet maximus? E. imus.
Pannoniae venient secula grata. E. rata.
Pro grege pro lege et tecum, rex, ibimus. E. imus.
Christe, tuis turbis praeficieris. E. eris.

## 2. Pannonia lugens

Instabilis fortuna suus mutatur ut orbis
transit et in varias absque tenore vices.
Luxuriosa modum spernit, vel blandior omnes
largiter exiguo tempore donat opes,

vel succensa statim muliebres fertur in iras,
   et quacunque potest arte nocere, nocet.
Ante alias hoc infelix ego Pannonis ora
   exemplo testor verius esse meo.
Deliciae mundo fueram, non dignior ullus
   non fuit in toto pulchrior orbe locus.
Fabula stertenti nunc spector ludicra mundo,
   est miser in toto nec magis orbe locus.
Bella vigent nostris plusquam civilia campis,
   undique spumanti terra cruore madet.
Heu, quoties segetes fraterno sanguine pingues
   et gravidas vites nunc mea rura metunt?
Postea quid Turcos memorem, quo saevior unquam
   non fuit et nullus saevior hostis erit.
His ego sum canibus multos iam praeda per annos,
   tuta nec a rabido dente medulla manet.
Haec mihi crux duplex, ut nostra insignia pingunt,
   haec duo me pariter noxia tela premunt.
Ast Ferdinandus, regni dum sceptra teneret,
   ut pater optatam ferre solebat opem.
Civiles placide studuit componere turbas,
   quae civile aliud nil nisi nomen habent.
Si quos impatiens discordia movit ad arma,
   fecit et armatas bella ciere manus,
non cessit furiis, sed contra audentior ibat.
   Omnia pro dulci pace pericla tulit.
Hosce minis, alios dando promissa regebat,
   saepe rebellantes terruit ense viros.
Sic optata meis rediit concordia votis
   et pax innumeris venit adaucta bonis.
Turcica si nostros intrarunt agmina fines,
   omnia si validis diripuere minis,
mox vigilans cunctis regnorum iussit ab oris
   auxilium nostris suppeditare malis.
Germanus constans, astu metuendus Iberus,
   fortis Boiemus, gens Italumque potens,
Martia corda meis tot succurrere querelis,
   ut Turcos contra fortia bella gerant.
Denique, quicquid opum diversa huic regna ferebant,
   illud pro nostra prosperitate dedit.
Cum pater e natis, aequo quos curat amore,
   unum morbifica tabe perire videt,
non omnes alios, misere sed respicit unum,
   et quamcunque potest, huic nisi praestat opem.

Sic Ferdinandus tantum mea commoda spectans
me circa promtus nocte dieque fuit.
Attulit ad nostros sua pharmaca nota dolores,
ut possem salva prosperitate frui.
Ferdinande, pater patriae, rex, pacis amator,
arx mea tu fractis undique rebus eras.
Regia concordi stabant tua sceptra quiete,
pax tibi sollicito corde et in ore fuit.
Occidit, heu, tantus miseris mortalibus heros;
rege bono nullum praestat in orbe bonum.
Plangite nunc, montes, omnis iam palleat arbor,
Echo, lugubres fingere disce sonos.
Flumina iam lacrymas moesto duplicate susurro,
languida nec vestros praecipitate gradus.
Rura suos luctus geminent, singultibus, agri,
edite tristitiae publica signa piae.
Αἴ, ἀι cuncta gemant, vel quod notum mage ia ia,
nullaque vox aliud quid nisi triste sonet.
Pannonis ora, dole, dolet et Germania magna,
gens Boiema potens funera tanta dolet.
Italiae pulchras surgunt lamenta per urbes,
dillaniat crispas Roma superba comas.
Conqueritur civem lugens et Iberus adustus
et sua pullato vellere membra tegit.
Vare, quid asuetas superant tua flumina ripas?
Alpes quid motu contremuere graves?
Cur cecidere simul turres et templa? Virorum
cur data tam miserae millia multa neci?
Cur subito tot tecta suis periere ruinis?
Cur nova sulphureos proiicis, Aetna, focos?
Ferdinande, tuos obitus haec signa sequuntur,
te fluvii, montes, ignis et aura dolent.
Aiunt et toto divisos orbe Britannos
aetheris accensos obstipuisse polos.
Unde sit haec coelo fornax accensa sereno,
rustica cum magno murmure turba rogat.
Heu mihi, quid mundo portendunt omina dira?
Praevia sunt magnis publica signa malis.
Magnum dum rapiunt immania fata monarcham,
dira solent multo sanguine bella sequi.
Improbus an toto rursum Mars saeviet orbe,
an gens in gentis proferet arma necem?
Sentio crudeles iterum concurrere dextras.
Tetricus, ah cives, sit procul iste furor!

Quid iuvat in proprio victricia membra cruore
  tingere? Quae rabies parcere nolle suis?
Non leo, non tygris, non ursus laedit amicos;
  his meus, ah, clemens non mage, civis, eris?
Aspice, Turcorum quam saeva potentia crescat!
  Hi tibi bellandi tempora longa dabunt.
Ah, cives, cives, quae vos dementia coepit,
  qui iam Turcorum crescere vultis ope!
Si vobis mens caeca, patrum penetrate sepulchra!
  Cernitis et manes hoc prohibere nefas!
Non sunt Huniadis generoso sanguine nati,
  Turcica qui certant perfida castra sequi.
Pannonium est Turcos animosis pellere dextris;
  hoc patrii cineres, hoc patria ipsa docet.
Pristina quin vobis redit in praecordia virtus?
  Pulchrum est pro Christi nomine posse mori.
Huc acies iunctas animis producite iunctis,
  hinc pia victrici ferte trophaea manu!
Annuit omnipotens summi moderator Olympi,
  promtus et ad nostras advolat, ecce, preces.
Ipse videt, quantis Christi respublica ventis
  fertur, ut hanc Borea flante procella rapit.
Ipse dedit vigiles tanto in discrimine nautas,
  qui fortes tumidum per mare vela regant.
Tres Ferdinandus, tamen uno pectore, natos
  in lucem nobis, lumina summa, dedit.
Carolus ad patrui divinos intrat honores,
  quos Tagus et Ganges novit et Antipodes.
Ferdinandus habet patris cum nomine mores,
  clemens et iusto corde quietis amans.
Maximus at proavi superat decus Aemylianus,
  unicus huic annus nam tria regna dedit.
Pannonis Anna viros tantos produxit in auras,
  hac triplici mater prole beata fuit.
Hos regina mihi dedit ut tria pignora natos,
  dixit et hoc nostri munus amoris habe.
Maxime rex, igitur sanguis meus, Aemyliane,
  me, precor, auxilio consilioque iuves.
Aspicis, ut sine te viduos extendo lacertos,
  ut mea sint lacrymis ora rigata, vides.
Aspicis, ut languens doctas inquiro medelas,
  tarda laboranti sed medicina datur.
Cum lupus ad radios Lunae stellaeque coruscos
  circuit infenso torvus ovile gradu,

quae tunc spes ovibus, quae tunc solatia? Pastor.
  Cum pastore gregum statque caditque salus.
Sic sine te nullae mihi sunt in corpore vires,
  anchora nulla, salus nulla nec ulla quies.
Destrue funestos intra mea tecta tumultus,
  ne lacerer turpi seditione, cave.
Intrepide tandem iunctis concordibus armis,
  Turcica sit primus rumpere castra labor.
Adsis et vigiles fratrum tibi iunge cohortes;
  hi quoque pro patriae bella salute gerent.
Haec pia crudeles hostes concordia vincet,
  haec ducibus laetis praemia grata feret.
Summe Deus, qui regna tuo sub nomine torques,
  qui transfers vario regia sceptra modo,
pectora qui regum dura compescis habena,
  solus regnandi qui pia iura tenes
quique vides auro depictas corpus alaudas,
  ut levibus pennis fortiter astra petant,
has tu, summe Deus, pulchras tueare volucres
  extensos contra retia tecta dolos.
Quod si Pannoniae miserae te cura fatigat
  nec querulae surda negligis aure preces,
da, pater, ut nostris campis spatientur alaudae
  et gravidae nidos culta per arva locent.
Carmina cantando summas ascendet in auras
  indefessa suo pondere semper avis.
Sic sua ruricolis cito gaudia prisca redibunt
  et facilis subito fiet arare labor.
Mirabuntur avis modulos ad aratra iuvenci
  nec iuga dependens experientur onus.
Sole sub ardenti spicatis messor in arvis
  carmine praedurum laetus obibit opus.
Danubii circum ripas modulentur alaudae
  tristibus et nautis gaudia mille parent.
Has Vagus et Savus tecum quoque, Drave, Tibiscus
  mirentur tales edere posse sonos.
Pannoniae laetis flavescat campus aristis,
  prata suum fundant luxuriosa decus.
Et Deus in nidis teneras conservet alaudas,
  illi quae dulci carmina voce canant.
Dum loquor, en nostras vox huc defertur ad aures
  coepit et humano sic velut ore loqui:

153 quique, quinque

Stat sua cuique dies regno, stat finis ut ortus,
quae Deus arbitrio ponderat ipse suo.
Non te Pannoniam fati inclementia torquet,
fato est iratum peius habere Deum.
Inveterata tuos frangit discordia cives,
ista tuas perdit fulminis instar opes.
Funde preces, precibus mollescit numinis ira,
una fides, unus civibus insit amor.
Sic tibi primus honos nomen laudesque redibunt
et levis optatum carmen alauda canet.
Maximus Aemylius fractam tibi restituet rem,
a patre rex vero differet iste nihil.
Haec audita mihi reparant solatia mentem
redditur et laetis exhilarata sonis.
Mater crudeles partus experta dolores
gestit, ubi ventris pondera cara videt.
Ultra nec meminit crebras enixa querelas,
gaudia plus tristi viva dolore valent.
Sic Ferdinandi dum tristia funera plango
dum lacrymis nimium tristibus aegra gemo,
Maximus afflictam me recreat Aemylianus,
qui data defuncto sceptra parente regit.
Hic pro patre pater, mihi rex pro rege coletur,
maximus hic cunctis induperator erit.
Pannones, extremum regi persolvite honorem,
aurea sit variis urna decora modis.
Unanimes tumulo super hoc inscribite carmen,
rex quoque maiori dignus honore fuit.
Hic Ferdinandus dilectam condidit Annam,
hic Ferdinandi caesaris ossa iacent.
Reginam tegit hoc magno cum rege sepulchrum;
unus erat vivis, post quoque fata thorus.
Nomina sufficiat tantum scripsisse. Per orbem
vulgatas laudes ordine quis referat?

# X. PSALMUS LXXIX. DEUS, VENERUNT GENTES, ETC. CARMINE REDDITUS PRO HUNGARIA GRAVISSIME CUM TURCIS CONFLICTANTE

## Hungaria loquitur

Sancte parens, sanctum cum nato et flamine numen,
unice sub trino nomine vere Deus,
cernis, ut Hungariae cultis in finibus erret
Turca, suo vastans nomine reque latro.
Ut Scythiae steriles habitavit barbarus agros,
me sic hostili destruit ille manu.
Scis, Deus, auratis ut erant mihi templa columnis,
scis, tuus hic fuerit quam celebratus honos.
Hic alios alii de relligione docebant,
omnibus hic Christi nomen in ore fuit.
Nunc sunt in spurcas furum mutata cloacas
proque aris turpes inveniuntur harae.
Hic Christum contra blasphemos ore nefando
eructant, scelus est et meminisse, sonos.
Quid memorem Solymas? Ager est, ubi moenia stabant,
Turcorum patitur florida terra iugum.
Ante oculos mihi sunt nostrae, notae omnibus, urbes;
ah, utinam, nostrae, dicere laeta queam!
Has premit iniusta furiosus lege tyrannus,
orba suo veteri tecta nitore ruunt.
Marmoreae steterant ubi summis turribus aulae,
occupat hunc isto tempore caula locum.
Omnia desertis videas immixta ruinis
et rudera in pulchris urbibus ampla vides.
Ecce, tuos servos, tua qui mandata secuti,
efferus horrendo vulnere Turca necat.
Aspicis in putidis nudata cadavera campis,
cernis, ut haec turpes esca saginet aves.
Sanctorum laceris vivunt animalia membris,
has rodunt miseras hoste iubente dapes.
Saepe cibos istos animal formidine tactum
horret et ex tacita relligione cavet.
Sic feritate feris cedunt animalia Turcis
et fera plus laudis quam ferus hostis habet.
Ceu viles temere per compita spargimus undas
et passim nostros fundimus ante pedes,
sic fera sanctorum diffundit turba cruorem,

integer effuso sanguine spumat ager.
Mortua iam totos obscurant corpora campos,
non est, qui miseros vel sepelire queat.
Et violat clausos imis gens prava sepulchris
nec sinit hos placida posse quiete frui.
E tumulis nostri generis crudeliter artus,
ut nostrum crescat dedecus, inde trahunt.
Ut fuerit, notum est, mea regibus Alba sepulchrum,
regius ut tumulis occidit omnis honos?
Porcus ut in pingui sese tellure volutat,
sordifico roseum spargit et ore solum,
regales sic sunt laceratae turpiter urnae,
eruta nunc passim regia membra iacent.
Haec mala vicini nostri crudelibus augent
sarcasmis, mea cum maxima damna vident.
Me nec consilio, non auxiliove iuvarent,
nec digito minimam quis mihi ferret opem.
His meus est tanquam vulgaris fabula luctus,
his movet innumeros nostra querela iocos.
Hi quoque, quos genui, ferrum in mea viscera condunt.
Quid facit, ah, regni perniciosus amor?!
Me contra Turcos sceleris fecere sodales,
sub caeca pietas ambitione iacet.
Haec immensa, Deus, tua nobis parturit ira,
illius, ah, tandem quis nisi finis erit?
Ni scelus in nobis, tuus et nec zelus adesset.
Omnes ante Deum quid nisi culpa sumus?
Ceu mulier thalami foedus transgressa pudici
irati patitur verbera iusta viri,
sic ego saepe tuam variis erroribus iram
accendi et poenae sum mihi causa meae.
Sed miserere mei, tuus extinguatur et ignis!
Iram nemo tuam, scis, tolerare potest.
Mollis ut ad flammas crepitantes cera liquescit,
sic homines summi conterit ira Dei.
Nos tua turba sumus, tua nos cur verberat ira?
Subiectis parces, hostibus hostis eris.
Sunt gentes variae, quibus es nec nomine notus,
has tua collectis viribus ira premat,
has super ut pleno fundas e vase furorem,
mixtaque cum tonitru fulmina dira cadant.
Plurima regna tuum venerandum nomen abhorrent,
aut illud vetita relligione colunt,
Aspicis, ut Turci Christum execrantur inique
et veri natum numinis esse negant.

Horrendum, potius Mahometi nomen honorant,
fictile pro vero numine numen amant.
Mirandam mortem rident et vulnera Christi,
exanimem clamant nos celebrare Deum.
Omnia, quae Christo sunt consecrata, profanant,
de Christo nomen nec superesse volunt.
Haec tibi turba, Deus, delinqui turpibus ausis,
hanc tua promerito dextra furore premat.
Omnia praeteritae repetam si tempora vitae,
me peccasse tibi computus iste docet.
Ne, Deus, antiqui vindex, precor, esto reatus,
ne culpae elapsae nunc meminisse velis!
Auxilium cito fer, cunctando destitues me;
ut nimium pauper sim, Deus ecce, vides.
Non aliter, quam, si morbo quis victus acuto,
per medici nullam pharmaca sentit opem,
ille Deum precibus noctesque diesque fatigat
e coeloque petit, quod sibi terra negat.
Tu, Deus, es nisi nostra salus, largire salutem,
non me, sed nomen respice, quaeso, tuum.
Libera sim duce te meae et obliviscere culpae,
nominis inde tui gloria maior erit.
Omnibus haec subiti fiat nova causa stuporis,
quod meus omnipotens fecerit ista Deus.
Nunc, quia multiplici depascor mole malorum
et fere spes certae nulla salutis adest,
exclamant hostes: Ubi nunc suus est Deus ille?
Mortuus est, surda negligit aure preces.
Hanc ignominiam tu iustis auribus audis,
non me, non alio, qui tibi dicat, eges.
His, Deus, irasci non incipis? Anne cruentos
hos placido morsus pectore ferre potes?
Scis bene, quot sanctos letho dedit ista caterva,
sanguinis effusi copia quanta fuit?
Nosti sanctorum minimas in sanguine guttas
et, quasi thesaurus sint pretiosus, amas.
Has ergo innocuas sanctorum ulciscere mortes,
nota sit haec cunctis ultio digna viris.
Vindictam, fac, ut hanc alacri iam lumine spectem
laeta meos hostes et periisse sciam.
Compedibus vincti noctesque diesque querelas,
audis, ut varias multiplicare solent.
Hos fera Turcorum rabies in carcere clausos
in stabulis tanquam bruta iumenta tenet.

Ascendat dolor iste tuas miserandus ad aures,
hi gemitus coeli sidera summa petant.
Agnus ut in laceri septis inclusus ovilis
ante oculos mortem nocte dieque videt,
sic tua turba feri libitu damnata tyranni
iam capitis poenas est subitura graves.
Eripe sed miseros inimico e gutture mortis
atque illis vitae tempore longa para!
Turcos inferni truculento carcere claude,
suppliciis variis hos Stygis aula gravet.
Vicinis nostris, qui nos risere superbe,
qui soliti nomen vituperare tuum,
septuplices illis reddas pro crimine poenas,
haec derisores praemia iusta decent.
Nos, Deus, ecce, tuus populus sumus, en tua turba,
quae te perpetuo carmine grata canet.
Sicut ovis dulcem pastoris sedula vocem
per campi gaudet pascua laeta sequi,
sic tua verba, Deus, semper veneranda sequemur,
ista meos flectet semita tuta pedes.
Tu dux noster eris, tu nostros hostis in hostes,
assertor populi te celebrantis eris.
Hungariae reddes primum decus atque nitorem,
omnis ager Christum rursus ut ante colat.
Et nati natorum et qui nascentur ab illis,
grates pro tanto munere semper agent.
Rex meus et caesar meus, en, quo robore Martis,
ferrea sunt dicas corpora et arma, venit?
Integra turba tibi dedit in baptismate nomen,
Christe, tuum propter nunc quoque nomen adest.
Aut cupiunt penitus saevos extinguere Turcos,
aut pro, Christe, tua relligione mori.
Adsis, Christe, tuis et eos in praelia ducas!
Te duce quis nobis hostis obesse volet?

## XI. DER 79. PSALM DAVIDS, HERR ES SIND HEYDEN IN DEIN ERBE GEFALLEN ETC.

Ach Gott von Himmel sih darein /
Und laß dich das erbarmen /
Schau wie doch steht das Erbteil dein /
Zu dir schreyen wir armen /

Die Türcken thun dir schaden groß /
In deinem guet ohn unterlaß /
Sie wollen dich vertreiben.
Dein Kirchen sie mit unflat sehr /
Muhtwilliglich beflecken. /
Nichts heyligs ist zu finden mehr /
So weit thut sich erstrecken /
Ihr stoltz, bossheit und ubermuht /
Ach Gott es wirt nicht werden gut /
Dein Volck muß gar verderben.
Hierusalem und ander Ort /
So dich recht han geehret /
Haben sie mit grewlichen mort /
Gar jämmerlich verhäret /
Die stainhauffen bezeugen das /
Fahren noch fort ohn alle maß /
Dein Land garauss zu tilgen.
Das Hungerland hat lange jar /
Christum bekendt von hertzen /
Noch hats der Türck zurissen gar /
Leidt von dem Feind vil schmertzen /
Und ist gleich wie ein krancker Man /
Dem schir kein Artzt mehr helffen kan /
Mein Gott thu du das beste.
Sihe an die trewen Christen dein /
Von dem Feinde erschlagen /
Gar elend ihre Cörper sein /
Die Vögel sie vertragen /
Ir fleisch essen die wilde thier /
Das schawt der Feindt mit grosser gier /
Lacht wann dein Völcklein wainet.
Der Christenhait Blut uberal /
Wie schlecht wasser thut fliessen /
Das mörden ist ohn alle zal /
Herr sols dich nit verdrissen /
Man findt nit der begraben wil /
Der todten Leichnam sein zu viel /
Es möcht ein stain erbarmen.
Laß dirs zu hertzen gehn ach Gott /
Kain trost ist sonst verhanden /
Vil haben uns für ainen spot /
Auch in der Christen Landen /
Inen gefelt wol der Türckisch hund /
Mit im sie stehn in starckem bund /

Gott geb wo Christus bleibe.
Herr wo wil doch dein zoren auß /
Wil er sich nit schier enden?
Er fehrt noch fort mit grossem brauß, /
Druckt uns auff unser lende /
Dein eyfer uber unser sünd /
Wie ein groß fewr ist angezündt /
Was wil noch darauß werden.
Nicht zörne auff die Diener dein /
Straff sie in deiner gütte /
Sich wie viel Gottloß Länder sein /
Die wider dich stäts wütten /
Halten dich auch nicht für ein Gott /
Treiben auß deinem Son den spot /
Auff sie geuß auß dein grimmen.
Diß Gottloß gsind dich gar veracht /
Zu dir khain mal sie schreyen /
Mit Mahomet sie treiben pracht /
Thun sich noch darzu frewen /
Fressen uns und das Lande dein /
Verwüsten gar all Christlich gmein /
Wilstu dann nicht sie straffen?
Wir haben wol auch sünden gnueg /
Nur sünd nichts guts wir treiben /
Zu straffen hastu gueten fueg /
So recht für recht muß bleiben /
Ach mein Gott hab mit uns geduldt /
Und reche nicht die alte schuldt /
Wer ist der dich kan zahlen?
Erbarm dich unser, saum nit lang /
Groß noht ist jetzt verhanden /
Die Christen leiden grossen zwang
Werden schier gar zu schanden /
Elend verlassen sein wir gar /
Herr Gott, nimm unsers jamers war /
Hilff, laß uns nit verzagen.
Steh bey uns Herr Gott unser heyl /
Umb deiner ehre willen /
Erlöse uns in grosser eyl
Thue deine Feinde stillen /
Richt gnädig unser missethat /
Erzaig uns Herr dein Göttlich gnad /
Daß dein Nam werd gepreyset /
So du dich unser nicht nimbst an

Wirdt der Gottloß hauff sprechen /
Wo ist ihr Gott der helffen kan
Wann wil er sein Volck rechen?
Ey wie ist das ein feiner Gott /
Ihr Christus ist gwiß wider todt /
Si mügen sich wol rühmen.
Wie kanstu Herr Gott leyden das?
Thue doch baldt zu den sachen /
Sie können dich nit schenden bas /
Thun deiner darzu lachen /
Beweiß dein macht und mach bekandt
Dein Göttlich gewalt im gantzen Landt /
Dein rach auff ihn laß bleiben.
Straff sie umb deiner Christen bluet
So sie mit ihren henden /
Vergiessen auß trotzigem muet
Grewlich im gantzen Lande /
Laß sehen wie du dich nimbst an
Aller so bey dir bleiben stan /
Und auff dich allein bawen.
Dein Volck sie gefangen führen hin
Gar jämmerlich gebunden /
Verkauffen sie umb schnöden gewin
Gleich wie verachte Hunde /
Herr Gott erhör der gefangnen klag /
Sie schreyen zu dir nacht und tag /
Ihr seufftzen ist ohn massen.
Sie müssen sterben allzu mal
Das urthail ist gesprochen /
So du nicht hilffst in diesem fahl
Herr laß nicht ungerochen /
Beweiß dein macht mit starcker hand /
Laß deine Feind werden zu schand /
Dein Volck laß mit dir leben.
Ihr ubermuht und spoten groß
Damit sie dich stäts mainen /
Schütt ihnen wider in ihr schoß /
Das sie nit können nainen
Sibenfachtig lass ihren spot
Auff sie fallen und alle noht /
Ihrs spotten lass sie geniessen.
Wir sein dein Volck, Herr Jesu Christ /
Du unser Gott und Herre /
Wir sein die Schaf, der Hirt du bist /

Weich jetzt von uns nich ferre /
Wir wöllen ewig danckbar sein /
Dich wirdt dein Volck preysen allein /
Unnd dir sich gantz ergeben.
Gib unserm Kayser gnädigklich
Das er mag gar außrotten /
Deß Türcken macht so wider dich
Der Christen aller spotten /
Regier sein hertz und auch sein hand
Daß er den Türcken auß dem Land
Durch dein gnad mag vertreiben.
Alle so Christlich Kriegsleut sein
Und für die Christen streiten /
Mit deiner hülff ihnen erschein /
Weich nit von ihrer seiten /
Frisch dran Christus wil Hauptman sein /
Wir wöllen mit ihm setzen drein /
Trotz allen unsern Feinden.

## XII. EPITHALAMIUM METAMORPHOTICUM AD NUPTIAS DOMINI IOANNIS SAMBUCI, ETC.

### Metamorphosis connubialis, pro nuptiis domini Ioannis Sambuci, etc.

In nova mutatas describam corpora formas,
coelicolum nostris adsint pia numina coeptis.
Sambucus toto clariis notissimus orbe
dotibus ingenii, Phoebi carissima proles,
Pannoniae gratum miseranda in sorte levamen,
aligeri rapidos sensisse cupidinis ignes
Christinae fertur, placido irretitus amore.
Pulchrior e reliquis fuerat Christina puellis,
quas Fabiana potens altum nutriebat ad Istrum,
relligiosa, domus curatrix, blanda, modesta.
Sensit et ipsa novos iuvenili in pectore motus,
inscia quid Veneris possint crudelia tela.
Non celatur amor. Pater istos conspicit ignes,
par fore coniugium sperat taedasque iugales,
fallere nec potuit spes haec concepta parentem.
Castus eos inter thalamo dignusque sacrato
coeptus amor fuerat, pudor hos nisi stultus utrinque

perderet, indignam pareretque modestia mortem.
Colloquium fugiunt hominum spectante caterva,
colloquium cupiunt soli, turbisque remotis,
ut de coniugio faciant solennia verba.
Constituunt pariter, cum sol condetur in umbras,
ad fontem sacrum veniant, qui murmure parvo
in nemore umbroso viridantes irrigat herbas.
Arbor ibi sambucus erat depressa racemis
tunc niveis, gestans sublimes vertice frondes.
Qui prior hanc subter veniet, meditetur amores
et cupide absentem praesens expectet amantem.
Pacta placent. Vix illa loqui potuere modesto
ore, tamen sanctis adduntur et oscula pactis.
Exoptant, celeres Phaebus submergat ut axes,
Hesperus et rutilo splendens procedat Olympo.
Aedibus egreditur furtim Christina paternis,
tutior ut via sit, vestes induta viriles
saepe deos orat, placidi comitentur euntem.
Fallit custodes urbis portasque relinquit
et sacri fontis gelidas properavit ad undas.
Velocem faciebat amor, consedit in umbra
et fontem prope somniferum decurrere rivum
aspicit et pulchro naturae munere gaudet.
Sambuci frondes niveos carpitque racemos,
longe aliam volvens Sambucum pectore, et arbor
nomine cara fuit desideriumque fovebat.
Ecce ferox cervus duro ex certamine victor
advenit, ora fero gestat madefacta cruore,
auget ei magnum rabiosa libido furorem.
Rancores Christina feros, spiramina crebra
percipit, ex humeris longos deturbat amictus
et celeri cursu sese in vepreta recondit,
spina licet teneras violaret cuspide plantas.
Cervus atrox longas conspurcat pulvere vestes,
cornibus et validis partes distendit in omnes,
humanos veluti furiosus conterat artus,
foeminei sexus iucundos sensit odores.
Deinde sitim intensam vicino in fonte levabat,
veste super lacera defessaque membra reponit.
   Austriaci iuvenes setis horrentibus aprum
invasere canum vigili properante caterva;
Non globus hunc potuit bombarda emissus acuta,
sternere nec poterant solido venabula ferro,
retia dente suo ceu putrida fila secabat.

Indefessa manus iuvenum turbaeque latrantum
attamen hunc hostem poterant superare ferocem,
nox venatorum si non obsisteret ausis
et sylvam tenebris subito involvisset opacis.
Ad notum fontem tendit quoque vulnificus sus,
pellat ut unda sitim numerosaque vulnera mundet.
Hic pugna exoritur, cervus sua cornua pugnax
exerit et saevum crudelis fertur in hostem.
Contra aper obliquis horrendos dentibus ictus,
fulmina ceu veniunt concussis nubibus, infert;
ob fontem sacrum geritur crudele duellum.
Viderit ac si quis turrita ad moenia Troiae,
Hector ut infractum valide oppugnarit Achillem,
si mihi parva tamen fas est componere magnis.
Interea Sambucus adest spe plenus inani,
somniat et vigilans Christinae semper amores.
Exaudit fremitus, audit strepitusque ferarum,
conflictus duros, Christinam nec videt usquam,
Christinae potuit nullas audire querelas.
Plenus amor curae. Ferro perrumpere mens est,
ut videat, tantis utrum Christina periclis
angitur, an liceat fido succurrere amanti,
aut simul una duos morientes auferat hora.
Quod si forte graves sensit Christina tumultus
et fuga velocem nemora in tutissima duxit,
aut ignara viae demissis errat in agris,
tardior aut nondum venit venturaque post est,
sollicitam cruciat dubia haec sententia mentem.
Et subito approperant hostes, iam proximus illis
Sambucus fuerat, sed nox protexit euntem.
Insiluit ramis, quae stabat proxima fagi,
spectat et, an Christina feris pugnacibus adsit,
gaudet abesse, tamen praesens quoque vellet ut esset.
In latus extensis cervus se cornibus offert,
dente subintrat aper spumanti grunnit et ore.
Nunc utrinque quies, nunc implacabile bellum,
donec equos roseis validos Aurora quadrigis
iungeret, infensum lectum pertaesa mariti.
Tunc audire datum crebros in valle latratus.
Sic cessere ferae, sic horrida pugna diremta.
Mox Sambucus adest, Christinam clamitat, audit
an referat quicquam, solitum responderat Echo.
Ad fontem passim maculatas sanguine vestes
ut videt, attonitus stetit et vox faucibus haesit.

Agnoscit vestes. Mea te Christina peremi,
exclamat, iussi cur, huc ut nocte venires.
Cur ego tardus eram? Sum funere dignior isto.
Crudeles, en, nostra ferae sunt membra, cruento
quae nunc Christinam, me, me discerpite rictu,
sit thorus iste idem nobis, cum non datur alter.
Attollit vestes fallaci sanguine tinctas,
tingit at ipse tamen lacrymis, dat oscula multa.
Vos, ait, et nostro iam iam quoque sanguine tingam.
Arripit et forti sub pectore condidit ensem,
qua cor vitales humanum praeparat auras.
Exilit inde cruor, ceu quondam victima caesa
sanguine ferventi sacratas polluit aras.
Sambucus vicina suas hoc sanguine baccas
tinxit et has atro semper mutata colore
gignet et aeternum Sambucus nomen habebit.
Ista deos tetigit caedes et noxius error
dilectique viri tristes miserantur amores,
efficiunt, ut et ipse sui mox nominis arbor
fiat, et exoritur divorum numine radix
ex pedibus, durus vestit praecordia cortex,
brachia quae fuerant, cernuntur in arbore rami,
in frondes abeunt pili. Christina rubentem
ut videt auroram, tota quam nocte vocabat,
vepretum linquit tacito et perterrita gressu
progreditur nec Sambuco quid dulcius optat.
Optat ei longae noctis narrare pericla,
optat eum noctis recitantem audire pericla,
optat, ut ad fontem iam suavi in rore sederet,
si tamen ante ferae cessissent. Ast ubi fonti
vix vicina foret, foedatum sanguine fontem
aspicit et nigras miratur in arbore baccas,
sanguine adhuc calidas, pariter nova quae sit et arbor
moesta, stupet. Nondum Sambuci cortice vultus
tectus erat, videt ipsa oculos, videt ora pavescens,
exclamat: Quod te adversum mihi numen ademit?
An nomen fatale tibi fuit arboris? Eheu,
Te Christina vocat tua, quo Sambuce recedis?
Christinae ad nomen sua lumina clausa levasse
dicitur extremum, quae postea cortice texit.
Me, Sambuce, fugis? clamat. Num pugna ferarum
mortis causa tuae, manus aut tua, vis ne latronum,
an crudelis amor? Mihi sint haec omnia causa
funeris et nostri, sine te mihi vivere mors est.

Vos, nemorum divi, nostras audite querelas!
iamque periturae non sint haec irrita vota,
Sambucum cupidis semper complectar ut ulnis,
iungat et una duos aeterno copula nexu!
Dixit et involvit lethalem in pectore cultrum,
turgidulae qua dependent utrinque mamillae,
et cito Sambucum prendit morientibus ulnis
tingit et iste cruor madidas aspergine baccas.
Vota deos movere, statim mutatur amatae
arboris in formam, manet et coniuncta sodali:
una fit ex binis diis sic mandantibus arbor.
Addit et ista Deus: Divino foedere iunctos
solvere nullus homo tentet, iam germina parva
arbore tam mira crescant, sit pulchra propago
Sambuci, castos soboles testetur amores.
Casta Deus mens est, castorum diligit ignes.
Affirmabat idem simul omnis turba deorum.
Vos, precor, o divi, qui transmutastis et illos,
aeternum maneat densis haec frondibus arbor,
sentiat aeterni felicia tempora veris.
Non imbres laedant, parcant et fulmina dira,
frigora non perimant, urat nec Sirius ardens,
non agitet Boreas, nec saevis imbribus Austri,
non illam laceret cultris temeraria turba.
Fistula si tereti sculpetur consona ramo,
in triviis qua pastores oviumque magistri
incultos madidi vino modulantur amores,
Pan, deus Arcadiae, tua cum sit rure potestas,
fac, precor, agresti Sambucum carmine cantent,
ut crudelis amor miseros extinxit amantes,
arbor ut hinc fuerit nutu formata deorum.
Sambucum decet haec, decet haec quoque gratia divos.
Cantent, coniugium praegnans est fructibus arbor.

## XIII. REVERENDISSIMO PRAESULI DOMINO ANTONIO VERANTIO, ARCHIEPISCOPO ISTROGRANIENSI ETC. SACER DIALOGUS ISTRI ET GRANI

### Ister et Granus

Ister

Grane, quid has lacrymas fundis? Quid limina turgent?
Quid sibi tot gemitus, quid post suspiria planctus,
addita sollicitis quid languida verba querelis?

Granus

Non ego cum lacrymis insomnes ducere noctes
iudice te cogar? Nosti, quot publica damna
cum rabie nostris passim grassantur in arvis.
Pascua lethali video corrupta veneno
et grave virus olent turbati stercore fontes.
Infelix, o, semper oves pecus et duce fido,
ecce, vides pecus omne caret, vix ossibus haerent
exangues agnae, nec spes gregis ulla gementes
agricolas fovet. En, aries sua vulnera lambit
tabidus. Obscuro viden, ut sint plena cruore?
Morbida per virides serpunt contagia campos.
Triste lupus stabulis nulla formidine poenae
imbelles praedantur oves et sanguine faedam
ingluviem satians, corvis lanianda malignis
et canibus mutis cum carnibus exta relinquit.
Fur quoque saepe latens miseras bis mulget in hora
et decies tonderet oves, si posset, in anno.
Saepe etiam teneros furtim sibi vendicat agnos.
Haec nunquam veriti sumus. At pastoribus absque
non equidem miror, si sic praesepia morbis
et tam funestis sunt undique plena rapinis.

Ister

Grane, tuis finem iustis impone querelis!
Sat mihi nota refers, sat dictis addere possem,
et maiora quidem, Grano ceu maior et Ister,
sed quia virtutis fortunae et consona vota
hunc voluere virum, meus, en, Verantius omnes
auferet has nostro sparsas in rure querelas.
Hic novus est pastor, nostri nova gaudia fundi,

pascua lethiferis iam libera cuncta venenis,
non aconita greges laedent, non flosculus ullus
noxius, aut fallax per prata virentia surget.
Iam liquidi fontes, iam mundi a stercore rivi,
iam metus omnis abest, iam pocula nulla supersunt,
quae vix sumta sitim pariterque extinguere vitam
novimus, inter oves fera iam contagia cessant.
Cessat et impunis torvorum praeda luporum,
cessat et illa rapax cupidorum audacia furum.
Hoc pastore suum stabulis decus omne redibit.

Granus

Tale tuum carmen nostris est auribus, Ister,
quale sopor fessis optato in littore nautis,
quale sub ardentis radianti sideris aestu
remigibus fontis gelidi sitientibus unda.
Ille ne pastor erit noster Verantius, omnes
inter oves notus, pascit quas Agria tellus?
Ille ne, piscoso quem praedicat ore Tibiscus
sedulitate ovium reliquos superare magistros?
Ille ne, quem lustris iuvenem nec quinque peractis
Bosnia mirata est, mirata Polonica tellus,
qui Venetos adiit, Latiam qui missus in urbem,
missus et ad Gallos, orator missus ad Anglos,
qui varios regum mores cognovit et oras?

Ister

Ille ne, vitales cum nondum liquerat auras,
quem Ferdinandus, iustissimus induperator,
miserat, ut rabidam Solymanni leniat iram
et procul a nostris Turcos averteret oris,
et stabili gratam componat faedere pacem?

Granus

Ille ne, quem caesar quoque Maximus Aemylianus
ad Constantini turritam miserat urbem,
ut nova cum Selymo diuturnaque faedera iungat?
Altera vix abiit cupidis messoribus aestas,
cum novus hic pastor tacito descenderet Istro,
tunc iam mirabar, quam sit veneranda senectus,
canicies quam pulchra viri, quam candida virtus
et quam facundae genuina modestia linguae.

Ister

Semper honos nomenque viri laudesque manebunt,
hunc sublime ferent dociles ad sidera cygni
et facient gratos semper meminisse nepotes.
Huic se submittent faciles et Granus et Ister.
Huic, qui Romanos fasces et Pannonis orae
inclyta sceptra regit, meritos largitur honores.
Huic quoque Pannoniae sua per suffragia tellus
haec nova pro meritis immensis praemia solvit.

Granus

Hic est pacis amans, hic pacis et inclytus author,
hic utinam placidas sapiens excogitet artes,
tollat et horrendos in relligione tumultus
firmet et optatam longo iam tempore pacem!

Ister

Doctrinae varias hic longo examine turbas
rumpet et errores nostris praesepibus omnes
sedulus arcebit, sceleratus et occidet author
hoc pastore, novum Stygii qui dogma magistri
Pannoniae miseras temere produxit in oras.

Granus

Quis novus in nostris grassatur sedibus error?

Ister

Arrius istorum caput est et origo malorum,
Arrius ille Stygis foeda nutritus in aula,
cui canis ille triceps genitor, cui mater Alecto.
Hic blateratoris Blandratae spirat ab ore
blasphemos contra numen coeleste furores,
oppugnat Christum, petulantia crescit in horas
incautasque animas tristem deducit ad Orcum.
Saepe mihi Chryseus, Marisus saliferque Zamosus
talia cum lacrymis lacrymanti nuncia narrant.

Granus

Si furor iste novus vero quid consonus esset,
cur toties nostri maduerunt sanguine campi,
cur Christum propter dulcem per vulnera mortem
multi obeunt potius, ne Turcica templa sequantur,
cur, Mahomete, tibi totus non crederet orbis?

Ister

Dii, tales nostris pestes avertite terris,
pastorisque novi vigilantia prompta rapacis
insidiosa lupi subito conamina frangat.

Granus

Nestoreos vivat novus hic ut pastor in annos
et bene Pannoniae dulces custodiat agros,
ut paccata senex placide sua rura pererrans
innumeras miretur oves, miretur et hoedos,
impavide tonsis ut sparsim rupibus errent.
Pro pastore novo sunt haec mea seria vota.

Ister

Ante leves madidis volucres pascentur in undis
squamosisque ruent siccata per alvea pisces,
ante suos etiam mutabunt flumina cursus,
ante suo stabili flectent de tramite stellae,
quam nostro illius labetur pectore nomen
et bene per varios casus exercita virtus.
Hunc celebrent vario praestantes carmine vates,
hunc rus omne sonet, grave nunc suspendat aratrum
agricola atque novo laetus pastore triumphet!
Grane, vale, summo properat iam Phoebus Olympo.
Cras, ubi pulcher equos roseo producet in axe,
pastoris laudes et splendida facta canemus.
Aurea pastori nostro sex lilia Phoebus
quae dedit, haec etiam memores tollemus ad astra.

## XIV. IN LIBRUM THOMAE IORDANI DE PESTE

Facta Diis supplex Pestis sic ore locuta est:
  Thomae Iordani tollite, quaeso, librum.
Exul propter eum toto iam rideor orbe
  nec possum stabili fixa manere loco.
Iuppiter iratus, maiores aethere pestes,
  respondit, vindex numinis ira dabit.
Hae nihil Hippocratis metuent vel docta Galeni
  pharmaca coelesti ni iugulentur ope.
Dixit et ardenti pestes effundit Olympo,
  Pannonis ora quibus flagrat et aegra malis.
Christe, procul nostris terris has exige pestes,
  haec feriant hostes fulmina saeva tuos.

3 eum, eam
10 Okál

# Pars II.

# GEORGII PURKIRCHERI EPISTULAE

# I. GEORGIUS PURKIRCHER, PATAVII 26. NOVEMBRIS 1562, IOACHIMO CAMERARIO FILIO, NORIMBERGAM

Salutem dat. Tuas mi Camerari, 28. die Octobris Augustae scriptas, 24. sequentis mensis Patavii accepi. Gratulor tibi non de difficili sed felici itinere nec spero te deinceps aliquas difficultates habuisse, cum amici tibi in Germania non desint. Ego hic Patavii manere decrevi ob multas causas, licet fere omnibus praeceptoribus simus privati. De morte Bassiani scripsi ad te, cum dominus Paulus Wellerus ad suos reverteretur, aut certe vulnerum si non mortis apud te memini, quae tandem mors est consecuta. Authores, ut solet fieri, ignorantur, qui clara luce, cum funus fieret, ad fores templi Heremitanorum, ibi enim cadaver sepultum est, carmen affixerunt "Pestis eram vivus, moriens fui mors tua, Lande". Pestem istam omnes Fallopium exponunt, de cuius morte Bassianus certior factus Venetias ad Robortellum absentem scripsit multumque triumphavit. Vere Poeta inquit "Nescia mens hominum fati sortisque futurae" Ad Fallopii tumulum tunc ex tempore factum al Santo haec sunt carmina:

Fallopi, hoc tumulo solus non clauderis, una
est pariter tecum nostra sepulta domus.

Melchior noster suas aedes prope hortum inhabitat. Si quid ab ipso et aliis hac hyeme seminum habuero, tecum communicabo, licet contra rationem sit semina hyeme inquirere, tamen, ut tibi semilego satisfaciat, nihil non tentabo. Nova quae nunc habui, haec sunt. 13. die huius mensis mortuus est Tridenti Johannes episcopus Chianadiensis, collega Duditii. Eodem die urbem ingressus est cardinalis Lotaringicus cum 12 episcopis, aliquot abbatibus, 15 theologis. Disputatur nunc Tridenti de aequalitate episcoporum. Urgent negotium Hispani. 19. Octobris perierunt 25 triremes Hispanicae ad Albam Hispaniarum urbem tempestatibus inauditis. Una periit Johannes Mendoza. Quid in Galliis fiat, nosti. Baiazetus a Persis est strangulatus, ut ternis literis scribitur. Romae nova inquisitio a pontifice est promulgata. Negotium Dionysii tibi curae sit, qui una cum aliis amicis te

salutat. Salutem precor et ipse tibi et tuis, imprimis domino patri, cui me, ut promisisti, commendabis. Saluta et Vitebergenses, Peucerum, Ezromum, Hubertum et ceteros, cum quibus omnibus bene vale et Georgii tui memor vive et si in Gallias adhuc ire cogites, rescribe. Sed metuo Bachanalia. Datum Patavii 26. die Novembris Anno 1562. Geor⟨gius⟩ Purkircher alla crusara a S⟨an⟩c⟨to⟩ Anto⟨nio⟩ in casa della Basilisca.

## II. GEORGIUS PURKIRCHER, PATAVII 27. IANUARII 1563, IOACHIMO CAMERARIO FILIO, NORIMBERGAM

Salutem dat. Unicas tantum tuas, frater carissime, post discessum tuum accepi et eas quidem Augustae scriptas. Quomodo reliquum itineris absolveris et an binas meas acceperis, propter silentium tuum ignoro non minus quam et silentii ipsius causam, quam tamen levem non esse puto. Vide igitur, ut quamprimum nostrae de te expectationi satisfacias, quae certe est maxima. Dominus Melchior Guilandinus mihi 50 semina dedit pleraque te antea habere scio. Si voles tamen omnia, mittam. Catalogum hic una mitto. Quis sit status scholae nostrae, quaeris? Mortem Fallopii et caedem Bassiani tibi antea significavi. Sepultus est hic apud Heremitanos. Sub sepultura foribus templi carmen affixum erat: "Pestis eram vivus, moriens fui mors tua, Lande". Id omnes de Fallopio interpretantur, de cuius morte quia Bassianus, ut dicitur, per literas apud Robortellum tunc Venetiis quaedam sua negotia curantem triumphavit, ideo, cum literae, interceptae essent, in hoc periculum incidit. Erectum est ei monumentum tale: Effigies ipsius usque ad pectus ex saxo albo cum inscriptione: Bassianus Landus fueram. Fallopio nemo successit. Anatomicum habuimus quendam Franciscum Lendinaram non valde insignem, ideo fuit anatomia nescio qualis. Bellocatus lectioni anatomicae praefuit. Ad tempus in Bassiani locum substitutus est Nicolaus Curtius, sed quia iam quidam Paternus Pedemontanus a dominio Veneto est conductus et hac quadragesima nobis praelecturus est, ideo Nicolaus iterum ad locum suum revertetur. Lectionem simplicium fastidit Guilandinus pro hoc stipendio "Audio huius Helenae novum procum inventum", de quo alias. Noster Trincavella extraordinarie nunc nobis praelegit de affectibus uteri, postea et de gallico morbo tractaturus. Bellocatus vero ambit locum Frankanzani et fortassis non infeliciter, praelegit nunc extraordinarie de urinis. Bononiense studium etiam satis floret. Venit eo et Cardanus et secundum Aph⟨oris⟩morum ibi interpretatur, Francanzanus vero tractatum de febribus. Haec de schola. Numerus Germanorum satis frequens, plures tamen iurisconsulti quam medici. Post tuam absentiam nescio quae turbae exortae sunt. Minor ab Arnd istum a Lied in sinistro brachio vulneravit ita, ut nullum usum brachii deinceps

habere possit. Causam discordiae ignoro nec adhuc sunt concordes. 24. Ianuarii alius tumultus secutus. Germanis nescio quid negotii fuit cum Polonis; ex his quidam colaphis cum ab istis caesus esset, accidit, ut Paulus Hessus noster paulo post Polonos praeteriret, ibi unus, ubi eum quoque ex numero istorum esse diceret, a quibus colaphis exceptus est, statim in eum irruunt et vulnus in caput infligunt et plura fecissent, ni fuga sibi consuluisset. Paulo post veniunt illi ipsi Germani, qui expectabantur et cum Polonis ubi congressi, unus ex nostris vulnus periculosum in genu dextro accepit. Nomen vulnerati est Bartholomaeus Haller. Potestas utrinque pacem mandavit et negotium nunc componere cogitat. De concilio quod scribam, nil aliud habeo quam nostros urgere supra calicem. Idem petit et Lotaringicus et Bavarus, qui quoque legationem suam ideo ad pontificem misit. Duditius suam orationem, quam legimus, hic excudi curavit, non vult tamen exemplaria adhuc divendi, nescio quid metuens apud se ipsum. Scripsit nuper ad me et inter caetera me monuit, ut te ipsius nomine salutem et tibi significem, ut aliquid novorum librorum ad ipsum transmittas. Scripsi Mediolanum et Genuam, omnibus, ut promiseramus, satisfeci, sed nihil adhuc accepi responsi. De pontifice rumor exortus est eum ante quadragesimam adhuc Bononiam venturum, aliqui propter concilium, aliqui propter imperatorem nostrum, quem Bononiam venturum arbitrantur. Quid futurum sit, dies doce⟨bit⟩. Triumphatum est per totam Italiam de victoria Gallica et capto principe Condensi, quae omnia quomodo 19. die Decembris acta sint, te hactenus intellexisse audio. Ideo rem notam et invisam satis repetere nolo. Multum enim Germani sanguinis tunc est profusum. Audimus Anglis bellum a Gallis indictum. Equitibus Germanis, qui a clade remanserunt, reditus in Germaniam concedetur, si conestablium captum liberum dimittent; quid futurum sit, ignoramus. Scribit Kärnerus ad me reginam de pace plurimum sollicitam nihil non tentare, Hugenotarum enim adhuc magna est potentia. Princeps Condensis accusat admiralium, quasi ab ipso desertus et hosti derelictus sit, imo et ad duellum eum invitasse dicunt. Iste est Aureliae, quo captum connestablium abduxerat. Condensis vero in arce quadam, quam Boscum de Vicena vocant, a regiis militibus custoditur. In festo Epiphaniarum pontifex duos cardinales novos Romae creavit, Ernandum, filium Florentini et Fridericum fratrem Mantuani. Cardinalis corpus reprehendit hanc creationem ut iniustam, quia tempore concilii facta sit. Ibi pontifex dixit se Florentinum creasse ideo, quia beneficium id sibi in pectore asservarat et id omni tempore distribuendi se habere facultatem. Mantuanum vero nunquam creasset, nisi Boromaeus et legatus imperatoris hoc ita apud eum iussissent. Fortasse hac creatione voluit lenire dolorem Florentini, qui ante mensem vel circiter duos filios amisit, unum cardinalem, alium secularem. Orta erat inter eos lis de fera quadam, cuius canes eam cepissent; ventum ad arma uterque vulneratur et tandem moritur. Filia Ducis, quae paulo Iordano nupserat, a quodam adultero rapta est. Mater ista videns prae dolore mortua est. Aegrotavit et ipse senex cum filio, quem

domi habet, sed, ut audio, convaluit. En novam Oedipi tragoediam. Haec erant, quae, confuse satis, nunc ad te scribere volui. Semina in Februario transmittam. Salutat te Dionysius, cuius te memorem esse puto, Conradus Freschelmoser et alii nostri. Saluta meis verbis reverenter dominum patrem tuum, dominos Peucerum, Ezromum, Hubertum et alios omnes nostros, quos amo et revereor. Datae Patavii 27. die Ianuarii Anno 1563. Georgius Purkircher.

Securidaca
Scammonia
Tondylium
Anchusa
Azaradecheni Avic.
Gingidium
Phaseoli picti
Isatis sativa
Capparis
Acanthus
Ammi
Fecula
Struthion
Thumialle del Themistitan
Guaiaci semen
Aethiopis
Daucus 2dus Diol.
Paxatis Herc.
Sisanum
Bamia
Leblab Arabum
Blattaria

Hippolapathum
Conyza Hip.
Seseli Mass.
Myrtus
Nux ethel
Agriocastanides rad. lon.
Orebus
Strychnodenirrum
Canabis
Thlaspi cappadoc.
Dolichos
Sida
Botrys
Ferulago
Abutilon Anguil.
Selinon ex Cypro
Asphalites trifol.
Panaces Herc.
Solanum somnif.
Papaver corn.
Thlapi D.

Malva crispa arboreta
Meum
Myagrum
Scorpicides Dodo.
Siser
Ligusticum
Astragalus

## III. GEORGIUS PURKIRCHER, PATAVII 18. FEBRUARII 1563, IOACHIMO CAMERARIO FILIO, NORIMBERGAM

Salutem dat. Tuas 14. Februarii Papenbergae scriptas, Ioachime carissime, ego 14. Martii Patavii accepi. Intellexi excusationem, qua silentium tuum tueri cogitas, et eam nunc accipio, sed vide, ne amplius in hanc culpam incidas. Scholae nostrae statum scire cupis; is talis est. Hac hyeme praeterita non possum scribere, quam frigida fuerint studia nostra. Chirurgica lectio nulla fuit. De anatomico quis et qualis fuerit, antea ad te scripsi. In locum Francanzani nemo successit sicut nec in Bassiani, tamen usque in finem

Decembris praeteriti, tunc enim substitutus ei est Nicolaus Curtius, ut lecturae isti in adventum Paterni praeesset. Trincavelius iam ob aetatem, ut credo, non omnino satisfacit auditorio, prodit saepe labilem memoriam suam ita, ut cum risu a scholasticis excipiatur. Lector simplicium quoque nullus fuit. Haec de praeterito, sed quid de futuro anno? Conductus est quidam Paternus, vir senex et doctus, is Bassiano succedet. De chirurgo adhuc nihil habemus, res agitur sedulo per studii nostri reformatores. De lectore simplicium haec scribere possum. Noster Melchior professionem istam ob stipendii tenuitatem, cui tamen plus, quam antea additum est, spernit. Bernhardinus vero Trevisanus etiam priori stipendio contentus eam expetit. Uterque sperat. Locum Francanzani Bellocatus habebit, huius vero Nicolaus Curtius. Rumor spargebatur de adventu Vesalii, sed rumor erat. Bononiae profitentur Francanzanus, Cardanus et Caesar non sine laude, ut audio. Francanzanus de febribus et morbo gallico, Cardanus vero aphorismos praelegit una cum tractatu de venenis. Caesar chirurgica docet. Haec de scholis. Accedamus ad concilium Tridentinum. Mortuus est pleuresi cardinalis Mantua 4. die Martii. Caret itaque gubernatore concilium; audio hydrae lerneae simile quidpiam ibi fieri. In locum enim capitis mortui multa alia succedunt, et ut Romae in sede vacanti sit, ita nunc Tridenti multa crudeliter fieri dicunt. Quid imperator noster velit, quid Lotaringicus cardinalis, id ex pagellis, quas subito descripsi et ad te mitto, intelliges. Petitiones imperatoris, cum adhuc Tridenti essem post tuum discessum, legi, monstraverat mihi eas Nicolaus, secretarius domini Quinqueecclesiensis, qui semper, ut meministi, nobiscum fuit et etiam aliquoties una cibum sumsit. Is tandem mense Ianuario colitis doloribus est extinctus, quo genere morbi antea et Episcopus Chianadiensis extinctus erat. Duditius noster nuper ad me scripsit et de te, cur nihil scribas, est sollicitus. Scripseram ad eum de Flaminio, ut eum ex catalogo librorum vetitorum salvet. Respondit mihi se hoc, quod petii, effecisse et nunc etiam de Erasmi libris cum monachis decertare, qui eum et eius scripta peius angue oderunt. Conqueritur et se haereseos a fratribus accusari, quia defensionem pro Erasmo scripserit. Edita est oratio illa de Calice, quam legimus. Exemplar nullum habeo ad manus; cum habuero, mittam. Donatus est ab imperatore episcopatu Chianadiensi, cui adhuc satis ampli reditus supersunt. Vides, quam crescant honores, sed metuo, ut muneribus corruptus plane tandem obmutescat. Iussit, ut suis verbis te salutem et si quid novorum librorum habes aut excudi audivisti, ea omnia ut ad nos perscribas, rogat. Quid imperator Oeniponti agat, te scire puto. Tirolensem comitatum daturus est Ferdinando filio in comitiis publicis. Is ibi nunc expectatur. Fuit ibi orator Ferrariensis, ut ambiat filiam imperatoris. In Gallia mira nunc suborta est vicissitudo. Dux Guisia a quodam interfectus est. Dies mortis est 25. Februarii, vel 27., ut ad me Venetiis est perscriptum. Globo bombardico a quodam ictus est, quem a Sciatiglione et Theodoro Beza rogatum et instructum fuisse imo et armatum scribunt. Ille tandem post facinus

perpetratum captus fertur et etiam confessus 40 alios esse, qui in caput Guisiae et socios coniurarint. Hugonotarum potentia subinde crescit. Multa utrinque fiunt crudeliter. Dolendum est tantum civilis et Christiani sanguinis pro religione effundi. Oremus Deum, ut sint unum, doceant unum, fateantur et unum. De pace nihil adhuc tractari audio. Condensis princeps parum aberat, quin ex suo carcere evasisset; suspensi sunt aliquot ex custodibus. Pontifex Romae male aliquantum valuit, sed melius habet. Missus erat ad eum Orator Bavaricus, ut calicem ab eo peteret. Petiit, sed pro calice equo pulcherrimo donatus a pontifice ad suos est reversus. Idem fiet et cum oratoribus nostris Tridentinis. Decreverunt enim pontificii mordicus omnia sua retinere. Haec sunt, quae mihi nunc in mentem veniunt. Plura scribere et negotia privata et Erasmi Flosseri, cui has dedi, subitum discessum non licuit; haec boni consule. Habui his diebus cadaver puellulae, quae incipiebat pubescere. Mortua erat empyemate, in dextro thorace pulmo totus fere erat absumtus. Inveni ibi thoracem plenum seroso humore bilioso et postea pure crassissimo. Totum hepar erat undique annexum peritonaeo, eius fistula tota corrupta, scirrhi in pulmone sinistro. Circa pubem inveni τὴν κλητόριδα ita, ut Fallopius describit; hymen non conspiciebatur, credo ob causam, quam suspicari potes. Collum uteri erat amplum, uterus minimus et semine plenus. Volui sceleton facere, sed coquendo ossa destruxi, servabo ea tamen. Haec ἀνατομικῶς. Patrem tuum meis verbis reverenter salutes et me ut filium ipsi commendes. Cum enim inter nos ut fratres conveniat, quid obstat, quo minus unum patrem revereamur? Salutabis et dominum Victorinum et Vitebergenses nostros amicos, quorum literas expecto. Superiori mense Februario misi ad te semina et literas, quae omnia Peurlstainero dedi; ab eo igitur ista expectabis. Salutat te dominus Melchior et pro suis seminibus ἀντίδωρα a te expectat. Salve et tu meo nomine et bene vale. Datae Patavii 18. Februarii Anno 1563. Geor⟨gius⟩ Purkircher. Venetiis de te percontatus est et Ludovicus Maigetanus, medicus ad Campanam, ut nosti, etiam metallica aliqua a te expectat. Arcae tuae curam habebo, ut petis.

## IV. GEORGIUS PURKIRCHER, VENETIIS, 20. FEBRUARII 1563, IOACHIMO CAMERARIO FILIO, NORIMBERGAM

Salutem plurimam dat. Quae sit silentii tui causa, Ioachime carissime, mirari satis non possum, praesertim cum argumenta et occasiones scribendi tibi non deesse sciam. Semina, quae a domino Melchiore accepi, hic Venetiis Peurlsteinero, ut iussisti, tradidi; credo tibi omnia reddita iri. Addidi ego semina Guaiaci, quae sine cartha dispersa invenies. Iussit te salutare dominus Melchior et admonere, ut vicissim ἀντίδωρα ad ipsum

mittas. Scit enim vestris locis metalla non deesse, quorum desiderio non minus quam tu seminum summo tenetur. Liberavi fidem datam tum Mediolanensi, tum Genuensibus, nihil adhuc responsi accepi nec accepturum me arbitror, cum sciam ab Italis nihil difficilius quam Latinas epistolas extorqueri posse. De statu scholae nostrae non habeo, quod scribam; omnia sunt mediocria. 14. die Februarii domi suae una cum puero suo interfectus est Patavii crudeliter Cicuta ille, quem nosti; causa et homicida ignorantur. In Galliis adhuc utrinque potenter res agitur. 28. Ianuarii arsenale Parisiensium igne conflagravit; credunt subfuisse dolum. In Anglia quidam Italus Condensem legatum ibidem interficere volens, cum deprehensus esset, se a quodam Gallo conductum esse manifesto est confessus. Romae eodem mense Germanus quidam haereseos accusatus et publice combustus est, praeterea nihil de eo scitur, nisi quod fortiter hoc supplicio sit defunctus. Stulte facerent iam protestantes, si in pontificis gratiam legatos mitterent. Tridenti certatur ut antea. Disputatio Galli et Hispani de praecedentia nunc valde animos patrum exagitat, cum alter sit Christianissimus, alter vero Catholycus. Duditius orationem suam de calice edi curavit; mittam tibi propediem unum exemplar. Imperator quoque mirabilia concilio proposuit, etiam audio aliquid edi Romae de reformatione Clericorum, licet pontifex decumbat et hydropicus futurus a medicis dicatur. Haec obiter, plura ob festum Bachi scribere non licuit. Saluta reverenter dominum tuum parentem, Peucerum, Hubertum, Ezromum et caeteros, me ama et rescribe. Salutat te dominus Dionysius et rogo, ut negotii istius, quod tibi cum eo intercedit, memor esse velis. Bene et feliciter vale. Datae Venetiis 20. Februarii Anno 1563. Georg⟨ius⟩ Purk⟨ircher⟩.

## V. GEORGIUS PURKIRCHER, VENETIIS, 21. MAII 1563, IOACHIMO CAMERARIO, FILIO, NORIMBERGAM

Salutem plurimam dat. Descendi huc Venetias, Ioachime carissime, ut Ascensionis festum viderem. Vidi plura, quam sperassem. Cumque nuper binas tuas accepissem, hic oblata occasione per tabellarium publicum ad te scribere volui. Editus est nunc liber Fallopii de hulceribus et tumoribus; eum ad te mitto. Communices eum, rogo, cum domino Peucero, cui quoque exemplar peculiare misissem, sed tabellariis multum solvi nosti, igitur in aliud tempus hoc differam. Unum interea hoc utrique sit commune. Scripsit enim ad me sibi maxime omnia, quae Fallopii sunt, placere. Edentur, ut audio, et alia eiusdem authoris opuscula, nescio quam bene. Videmus enim mortuorum scripta quodammodo semimortua in lucem prodire. Intra mensem habebimus Curtium de destillationibus, in aphorismos, in primum primi Avic⟨ennae⟩ nescio tamen, qualia sint futura, praeterquam quod

typographum valde ea commendare audio. Tempestate hic fruimur mirabili. Continuae sunt pluviae, nulli adhuc calores ita, ut nemo sit, qui aliquid simile recordetur. Studia nostra Patavii satis frigent ob tumultus in curia Capitanei exortos. Dum enim scholasticos quosdam ob usum armorum in carcerem coniecisset reliqui, ut iterum Capitaneo molesti essent, strepitu omnes lectiones impedierunt. Secutum est edictum, ne quid sub poena chordae streperet, ibi tussiendo et fistulando sibi satisfecerunt. Tandem aliquot turbae istius authores animadversos Capitaneus, qui una et praetor est, ad se citavit, sed cum non venissent, eos triennii exilio punivit. Res tuae hic adhuc sunt in hospitio; quid cum illis agendum sit, tu videris. Ego in authumno Deo volente iter Romanum ingrediar, interea rerum tuarum curam habe. Metallica aliqua a te expecto, ut ea cum doctis in Italia communicem. Hortus noster Patavii ob iniurias coeli nondum totus viret. Habemus plantam rhabarbari ita, ut Dodonaeus eam pingit, quam te non vidisse puto. Nova, quae habeo, ex charta aperta hac intelliges, quam cum domino Peucero communices velim. Saluta meis verbis reverenter dominum tuum parentem, dominum Victorinum et alios nostros amicos. Duditii orationem ab authore ipso expecto, postea mittam. Datae Venetiis 21. Maii Anno 1563 Georgius Purkircher. Salutat te Dionysius Pühlerus, qui una mecum huc descendit.

## VI. GEORGIUS PURKIRCHER, PATAVII 17. AUGUSTI 1563, IOACHIMO CAMERARIO FILIO, NORIMBERGAM

Salutem dat. Cur ita sileas, Ioachime carissime, nescio. Illud certe scio res tuas silentium hoc minime ferre posse. In festo Ascensionis enim cum librum Fallopii de tumoribus ad te, opera Peürlstaineri, mitterem, memini me ad te scribere prolixe de itinere meo Romano, quod post mensem ingrediar, et ideo opus esse, ut sciam, quid cum libris tuis fieri velis, sed adhuc verbum nullum respondisti, licet cum Noribergae esses, habueris scribendi occasiones. Sed intellexi tandem a scholastico quodam Ienensi id, quod diu suspicabar, te rei uxoriae operam dare nec tam de libris quam liberis esse sollicitum, quod ipsum miror te hactenus me celasse, cum tamen omnes amatores diserti sint et sociis gaudeant, in quorum sinus amores et gaudia sua effundere possint. Si veteranus es; male nomen tuum tueris. Si tyro in hac arte, indoles certe mala est. Vide igitur, quid sis. Ut—ut tamen se res habeat, precor, ut omnia, quae moliris, tibi feliciter succedant. Nova nunc nulla habemus. Mense Iulio iterum Tridenti fui ob domestica negotia, quae domino Duditio tunc in Hungariam discedenti commendabam. Vidi ibi sessionem septimam die 15. Iulii habitam in summo templo. Decreta facta sunt de residentia, quae omnibus est mandata. Habebitur octava

sessio 16. Septembris, in qua agetur de matrimonio. De calice verbum nullum. Nostri instant, alii obstant. Cum redirem Tridento, incidi in turbas scholasticas inter Germanos et Polonos ortas. Nostri titulum rectoris pro Cumerstadio ambiebant et etiam iam publice retinuerant, sed statim, cum securissime rem agerent et omnes rectori novo congratularentur, interea adversa pars dolo suffragia denuo numerare et nostris absentibus et non observantibus ita augere coeperunt, ut nostros vicerint et Polonum tandem hoc titulo ornarint. Iniuria delata est Venetias, sed nostri ceciderunt causa. Trincavella noster nunc graviter decumbit, alii eum mortuum, alii melius iam habere dicunt. Morbus est, ut audio, duplex tertiana continua cum catarrho salso. Paternus expectatur. Bernhardinus Trevisanus simplicia profitebitur. De chirurgo nihil auditur. In Italia omnia sunt tranquilla, sicut etiam in Galliis, ubi nunc quilibet in sua religione libere vivit. Haec nunc habui. Sponsam tuam meis verbis amanter saluta, cum qua ut feliciter vivas et videas filios filiorum tuorum, tibi ex animo precor, propediem et ipse talia vota ab aliis accepturus. Datae Patavii 17. Augusti Anno 1563. Georg⟨ius⟩ Purk⟨ircher⟩. Mitto tibi per hunc Gerhardum tuum Secreta Fallopii, si titulo credimus.

## VII. GEORGIUS PURKIRCHER, PATAVII 20. SEPTEMBRIS 1563, IOACHIMO CAMERARIO FILIO, NORIMBERGAM

Salutem dat. Ob febris immanitatem, quae me graviter afflixit, et quia te quoque brevem habui, ideo et ego brevitati studebo. Itineri Romano, ubi vires suffecerint, me committam. Deus mihi adsit. Clavem tuam apud Mel⟨chiorem⟩ Guilandinum frater tuus offendet. Arca salva est Venetiis ad aglan in eodem loco, ubi a nobis retecta erat. Nova nulla. Victor Trincav⟨ella⟩ nocte sequenti post 20. diem Augusti Venetiis mortuus est. Bene vale. Patavii 20. Septembris Anno 1563. Georg⟨ius⟩ Purk⟨ircher⟩.

## VIII. GEORGIUS PURKIRCHER, PATAVII 20. IULII 1564, IOACHIMO CAMERARIO FILIO, NORIMBERGAM

Salutem dat. Literis tuis, Ioachime carissime, perlectis, te adhuc solum esse ubi intellexi, non potui non gaudere. Maluissem tamen aliquid nuptiale legere, quia cum sis cunctator, ut fateris, stimulo tibi opus esset, qui in omnibus tuis negotiis te alacriorem et magis excitatum reddet. Sed stimulum timemus, dices? Novi quidem hoc effugium, sed onera dulcia minime onera

esse nosti, et salutaria nobis, licet aliquantum minus iucunda, necesse, ut patienter feramus. His dictis meis vellem te aures praebere. Videbis etiam, quamprimum in patriam rediero, me primo de vita socia ac postea de reliquis sollicitum futurum. Ubi consultorem suo consilio satisfacere videris, nullum periculum subesse cogites velim. Sed quia reditus in patriam mentionem feci, scias itaque ad principium Augusti, Deo volente, ex Italia me discessurum. In patria literas tuas expectabo. Si ante annum tibi praesens fuissem, maiori commoditate ibi apud nos vivere potuisses. Credo enim omnes angulos ita repletos fuisse, ut peregrino vix locus ullus in hospitiis patuerit. Laborat praeterea Pisonium rustica quadam inhospitalitate, quae hominibus exteris valde est molesta, praesertim si ibi plane ignoti fuerint. De libris medicis parum scribere possum. Editus est libellus Fallopii de thermis, nondum tamen a me visus. Laborat nunc typographus Patavinus in excudendo opere quodam, cui titulus est Apollo Medicinae, authore Alexandro ab Alexandris. Librum credo studiis nostris non inutilem fore. Examinantur enim omnes compositiones, quibus nunc medici utuntur, multis pravis opinionibus indicatis et reiectis. Intra 2 menses opus hoc absolutum habebimus. Frankanzanius Bononiae de cauteriis docuit atque ita lectionibus suis finem imposuit. Sequenti anno hic docturus. Hieronymus noster utilia docuit de 3 illis instr⟨umentis⟩ med⟨icinae⟩, chirurg⟨ia⟩, phar⟨macia⟩ et diaeta. Item de ratione collegiandi et ultimo de urinis, quarum lectionum gratia diutius etiam Patavii inhaesi. Cardanus Bononiae dicit se laborare siccitate cerebri, et ideo nunc in canicularibus galeam ex lacte illo cocto, quod puina dicitur, imponit capiti sub aestu solis intenso, quo poros aperiri inquit, ut humiditas illa penetrare possit. Locum affectum credo esse cerebrum, sed an vitium sit in intemperie aut compositione, dubito, et si in intemperie, an siccam accusare possit, cum tamen sicca anima semper sapientiae laudem sibi habuerit coniunctam. Auxilii genus apud me quoque incommodum esse videtur, nisi ex lacte asinino coagulum illud esset praeparatum, quod ideo scribo, quia dum Bononiae essem, tam miras nugas in schola proponebat, ut cum risu omnes eas miraremur. Sed quid de Cardano dico, cui tamen suus locus inter doctos esse potest? Scribitur ad me nostrum imperatorem se subiecisse curae doctoris istius Bachi, cuius nomen tibi notum puto, immo et hominem ipsum te nosse oportet, cum ante annum in aulis nostris fueris. Quid dies et noctes studiis insudamus, ubi scurras doctissimis viris praeferri videmus? Optarem certe ob imperatorem ipsum, ut res bene succederet, sed timeo plus, quam spero. Decoxit certas herbas, et diu de illo decocto si imperator dies 18 biberit, tunc et catarrhum et febrim sublata iri promisit. Cum meae, quas accepi, scriberentur, tunc iam 16 dies transierant, catarrhus et febris remiserant, imperator vero magis quam antea debilitatus, et appetitum tum cibi tum potus habuit prostratum. Quid secutum sit, adhuc ignoro; vellem omnia optima, timeo tamen nihil nisi pessima. Addam et illud, cum in medica inciderim, quod scribitur Romae luem quandam in animalibus passim

grassari talem, ut pedes eis intumescant et ungues decidant, quod si lingua pedes lingant, tunc et ipsam, os denique totum intumescere scribunt. Invasit iam et homines aliquot malum istud et interfecit quoque. Cautum est igitur, ne ullum animal mactetur, nisi prius spectandum certis hominibus fuerit propositum. Ex Hispania scribitur regem febricula laborasse. Regina gravida videbatur et sibi et aliis, molam vero postea peperit. Filius Carolus iam et ipse negotia regni tractare incipit. Primus locus Romae datus est Gallo; id aegerrime fert Hispanus nec sententiam hanc ullo modo vult accipere. Nuptias Ferrarienses iam certas esse audio, de die tamen nihil constat. Haec nova tecum communicare volui, cum alia non habeam. Tuum erit ea, qualiacunque sunt, boni consulere et me amare. Scripsit nuper ad me frater Philippus, te et patrem desiderare literas Sophiani. Ibi velim, ut desiderio vestro posset satisfieri, sed Sophianus, cum ad Ducem Sabaudiae sese contulerit ac una cum eo in Gallias intrarit, vix amicis operam dare poterit. Nosti enim, quid aulae faciant. Domino patri tuo me commendes rogo et vale. Datae Patavii 20. Iulii Anno 1564. G⟨eorgius⟩ Purkir⟨cher⟩.

## IX. CASPAR PEUCERUS ⟨VITEBERGAE⟩, 10. NOVEMBRIS 1564, GEORGIO PURKIRCHERO, PATAVINUM

Salutem dicit. Ornatissime domine Georgi, etsi dubitamus, an versareris adhuc in Italia, quod ad nos de reditu tuo in patriam fama allata esset, tamen volui ad te rogatu nostri myropolae scribere, qui comparat materiam ad apparatum theriacae, in quo conatu desiderat maxime trochistos de Tyro, quos mallet confici in Italia per amicos fide dignos, qui spectatores essent confectionis, quam emere a propolis, quibus non ardet fidere. Si potes itaque, des illi hac in re vel potius nobis omnibus operam, et ipsius sumptu compares recte confectos, illosque ad Joachimum Camerarium Noribergam prima occasione mittas adiuncta significatione pretii, quod recipias cum gratiarum actione. Confido te, priusquam alicubi consederis, nos invisuros esse, idque ut facias vehementer oro. Haec scripsi eo die, quo sepelivimus dominum Melchiorem Fendtum, qui periverat ad annum aetatis 78. Bene et feliciter vale. Pridie Martini 1564. Caspar Peucerus.

## X. GEORGIUS PURKIRCHER, POSONII 20. IULII 1565, ZACHARIAE PRAETORIO, VIENNAM

Salutem. Accepi literas Venetiis 18. die Iulii. Scribitur ad me nostri optimi Ioachimi Camerarii filium Philippum Romae in inquisitione ista diabolica vinctum detineri. Nescio, quo modo incautus in istos laqueos inciderit. Laborat pro eo orator imperatorius, qui est Romae. Si viam aliquam scis, qua in aula imperatoria pro eius liberatione laborare possemus, nulli labori parcerem. Tarde enim haec ad aures senis ipsius proferuntur. Interea Romae in primo furore aliquid de ipso fieri poterit. De Italia alioquin nunc omnia bona. Turcica classis oppugnavit sevissime insulam nostram, Maltham nunc vocant, sed Deus ipse pro nobis pugnavit. Arcem in portu sitam 5 assultibus expugnare non potuerunt. Ultimo quinque integras horas assultus duravit ita, ut quater convenerint, nostri tamen fortiter eum represserunt. Perierunt ibi 6000 Turcarum et reliqui re infecta discesserunt versus Africam, cum audissent classem Hispanicam iam Messinae in Sicilia paratam esse. Duravit obsidio Melitensis a die 18. Maii usque ad finem Iunii. Veneti et Galli cum Turca manifeste colluduntur. In Galliis semina Ecclesiae proiecta nunc spinis et aestu extinguuntur. Redeunt canes ad vomitum. De rebus Hungaricis haec habeo: 12. Iulii noctu dissensio orta est in castris hostium. Hungari cum Turcis pugnaverunt, advenerunt eis tormenta bellica, orta est denique pugna cruenta. Haec socii inter se. Quid nostri faciunt, cum hostes inter se dissentire videant, tu iudices. Laborant propterea hostes commeatu necessario ita, ut frustum panis atri 15 nummis Hungaricis veneat. Vides itaque et terra et mari Deum nostrum conferre favore, modo nos victoria uti sciremus. Viennae 5. Augusti; credo te futurum in exequiis Ferdinandi imperatoris. Ibi in aula conveniemus etc. Datae Posonii 20. Iulii anno 1565.

## XI. GEORGIUS PURKIRCHER, POSONII 2. OCTOBRIS 1566, CATHARINAE DE PERNSTEIN, UXORI COMITIS SALMI

Wolgeborne Genedige Fraw / Es stehet Exodi am 17. capitel geschrieben / weil Moses seine hende empor hielt / siegete Israel / wenn er sie aber nider ließ / siegete Amaleckh. Dadurch uns wirdt zu verstehn geben / daß unser streiten nichts ist / wo nicht daneben ein recht erntlichs Gebet zu dem waren Gott wirdt gebraucht. Ist derhalben hoch von nöten / daß wir zu Gott durch Christum unsern ewigen Mitler schreyen / daß er uns wider deß Türckens macht wölle schützen unnd erhalten / wie dann solches in disem

Psalm ordentlich ist begriffen / Welcher in E⟨urer⟩ G⟨naden⟩namen in druck ist außgangen / damit wie E⟨ur⟩ G⟨naden⟩ also auch andere Christliche frawen / für ihre liebe Herren / Kinder / Freunde / so mit blut und guet wider den Türcken kempffen / zu unserm Got schreyen / daß er seiner armen Christenhait wöll gnediglich beystehen / und seines einigen sons Jesu Christi ehr helffen retten / wider die Türcken und alle so ihn schenden und lästern. Hiemit mich E⟨uren⟩ G⟨naden⟩ gantz underthänig befehlhend. Datum Presburg im 1566 jar den 2 tag Octobris / an welchem tag die Saracent vor 379 jaren die statt Hierusalem von denen Christen / so uneinig gewest / haben genommen. E⟨ur⟩ G⟨naden⟩ D. W. Georg Purkircher D⟨octor⟩.

## XII. GEORGIUS PURKIRCHER, POSONII 18. MARTII 1570, IOACHIMO CAMERARIO PATRI, LIPSIAM

Salutem plurimam dat. Licet, Vir eximie, et patris loco carissime, tibi ex facie non, sed tantum per literas sim notus, norunt me tamen filii tui Ioachimus, Philippus et Ludovicus, quos amavi et amo, et lubens semper eos sum complexus. Cumque sciam et te et tuos mihi bene velle, propter ea tibi et tuis commendo hos duos adolescentes, quorum alter Martinus unicus filius, alter vero Thobias privignus est sororis meae. Proficiscuntur Witebergam, ut bonis literis dent operam, sique interdum Lipsiam venerint, et tuum consilium aut auxilium implorarint, illos paterno animo quaeso amplectere, et sicut omnes honestatis et literarum studiosos, ita illos quoque duos adolescentes, tibi curae esse sinas. Spondebunt pro me Crato, Peucerus et Ezromus me quicquid in illos duos contuleris, grato animo semper memorem celebraturum et si pecuniaria quoque interdum illa essent officia, sicuti peregrini saepe variis casibus sunt expositi, tunc etiam gratum me tibi tuum optima fide redditurum. Nos hic deploramus vestrorum theologorum certamina. Turci grassantur iam in Dalmatiae illis partibus, quae Venetis parent. Florentinus Romam 15. Februarii pompose est ingressus et cum papa templum intraret, factus est candatarius papae sedendo praelatus imperatorio oratori in consistorio, et res non caret suspicione. Bene ac feliciter vale, Vir eximie, et filios tuos saluta. Posonio 18. Martii anno 1570 Georgius Purkircher.

## XIII. GEORGIUS PURKIRCHER, POSONII 29. SEPTEMBRIS 1571, HUGONI BLOTIO, VIENNAM

Salutem plurimam dat. Video et homines et humana omnia esse incerta et mutabilia. Dum te Iaurinum paras, interea sors tua te Patavium vocat, quo ut eas comitantibus te magnis diis, tibi ex animo precor. Ne redeas autem vacuus ad nostros Hungaros, propterea nisi ad dominum Sambucum aureos 128 in una parte marsupii, quos nostro Berzevicaeo, deinde in alia parte marsupii 30 aureos, quos Ladislao Cubinio dabis. In eodem latere est fasciculus parvus, quem Nicasius tibi inscripsit. Mitto et arculam parvam ligneam, in qua lapides quidam metallici. Apud Vaciensem episcopum impetravi 50 aureos, quos literis inclusos mittit alumno, ut aut cum philosophis aut iurisconsultis consumat. Has literas etiam a domino Sambuco accipies. Eas igitur feliciter cum hoc onere et Patavii miseros et enumes scholasticos hoc euangelio recrea. In itinere curae tibi erit pecunia, quia scio te peregrinando didicisse nusquam tutam esse fidem. Vale, mi frater, et me ama. Pos⟨onii⟩ in festo Sanctorum Angelorum, qui te comitentur. Anno 1571. Georg⟨ius⟩ Purkir⟨cher⟩.

## XIV. GEORGIUS PURKIRCHER, POSONII 22. OCTOBRIS 1571, BARTHOLOMAEO PURLAMUZ, VIENNAM

Salutem plurimam dat. Me absente tuae sunt allatae. Cum domum redirem, curavi statim, ut socrus mea pecuniam illam, quam petis, tabellario tuo traderet, quam ab ipso salvam accipies, ut speramus. David petebat sibi mitti epitheta Ravisii. Scripsi ea de re ad Georgium Schilherum, bibliopolam Viennensem; se librum istum quotidie expectare respondit; cum igitur occasio se offeret, alloquere hominem, et num liber ille allatus sit, inquire, compactum ad te accipe et pretium numera. Si vero librum se adhuc non habere dicet, quaere eundem apud alios bibliopolas et in foro scrutario, ubi saepe boni libri vetustis libris commixti venduntur. Quicquid expones, tibi hic bona fide reddetur. Plura ubi ad nos veneris, quod ut feliciter fiat, tibi et mihi ex animo opto. Haec ad tuas et viginti sex florenos uti petebas. Vale et comitem tuam saluta. Posonio 22. Octobris anno 1571. Georgius Purkircher.

15 *Adscr. alia manu* Mit 26 zu antworten

## XV. GEORGIUS PURKIRCHER, POSONII 5. FEBRUARII 1575, IOACHIMO CAMERARIO FILIO, NORIMBERGAM

Salutem plurimam dat. Verum est, quod scribis de animorum et studiorum coniunctione et de variis molestiis, quae nobis impedimento fuere, cur tanto tempore per literas non simus collocuti. De me tibi tamen hoc pollicearis velim me et ex Cratone et ex vestris, si in quos incidi, diligenter semper et de te et rebus tuis percunctatum esse. Nunc vero, cum me ad scribendum provoces, accipio conditionem et lubens tecum in hanc arenam descendam, ita tamen, ut sicut tu mihi, ita et ego tibi fur temporis dici possim. Mortem patris Ioachimi ex aliis etiam intellexi et scio quidem optime cum ipso actum, sed doleo sortem nostram, quia doctissimis quibusque viris privamur et videmus nobis remanere pestes et furias in genere humano. Nos hic propter Turcas vicinos habemus etiam nostras calamitates et quidem insignes. Composita nunc dicitur nova pax inter nos et ipsos ad 8 annos, sed illa ipsa pax nobis est exitiosa. Privatae meae res sunt in eo, quo possunt esse loco. Scis enim illud: Intrant in thalamos publica damna tuos. Habeo uxorem in mea vicinia ductam ex antiqua et Germana familia Lerchenfelderiana, cuius patruum quendam intellexi Norimbergae apud Sanctum Laurentium fuisse concionatorem. Cum mihi non sit visus unquam, inquire, quaeso, per occasionem, an et quomodo vivat. Habeo ex mea coniuge duos filiolos et unam filiolam; primogenitum et nuper natam filiolam Deus dedit et abstulit, et, ut spero, alios adhuc plures dabit. De Ulyssis simplici nihil possum rescribere, cum catalogum illum non habeam, nec sciam tale aliquid in Carpato crescere, quo nostri uterentur. Scribe ad ipsum Ulyssem, ut se declaret; postea, ubi intellexero, quid velit, dabo operam, ut illud idem ex Carpato habeamus. Semina et alia, quae habeo, colligam, indica mihi Viennae aliquem mercatorem, ad quem absente Cratone meas mittam. Vale feliciter cum tuis et ⟨...⟩ Datae Posonii 5. Februarii ... ⟨Purki⟩rcher.

## XVI. GEORGIUS PURKIRCHER, POSONII 20. MARTII 1575, IOACHIMO CAMERARIO FILIO, NORIMBERGAM

Salutem plurimam dat. Gratissima mihi sunt, quae de rebus tuis et sene Lerchenfeldero intellexi. Si occasionem habes, hominem nostro nomine per internuncium aliquem saluta, et si qua in re sibi operam nostram profuturum putat, ut id nobis significet, eum edoceto. Mitto nunc ad te semina quaedam, ut vides, mitto cerviboletum cum agarico nostrate, mitto et

lapidem ex aqua concretum in fonte non procul Istrograno aut Strigonio distante. Nostri utuntur eo in emplastris pro ossium fractura. Agarici vires expertus sum etiam Italico aut Tridentino non esse inferiores. Ubi cerviboleti colliguntur, rustici, quamprimum aut punctiones aut difficultatem aliquam in pectore sentiunt, statim hoc medicamento utuntur. Qui politiores sunt, etiam in partu accelerando medicamentum commendant. Metallica pauca hinc mitti possunt. Nostri enim praeter aurum, argentum, cuprum et plumbum nihil curant. Si erit aliquando occasio, ipse nostros montes metallicos visitabo. Scio te habere varia ex Mysnia et locis vicinis. Si res tuae hoc patiuntur, rogo mihi portiunculas parvas de selectissimis quibusque mittas, quae postea me inter nostros barbaros quasi manu ducent in similibus inveniendis. Quod si succederet, ut spero, et tu partem haberes. Parantur in urbe vestra globi coelestes et terrestres, velim per famulum inquiras, quanti veneant, illi non usque adeo magni nec parvi, et an commode eos ad me mittere possis. Hoc nunc volui. Nos hic speramus pacem. Tu cum tuis feliciter vale et salve. Pos⟨onii⟩ 20. Martii anno 1575. Georg⟨ius⟩ Purkircher.

## XVII. GEORGIUS PURKIRCHER, POSONII 11. IULII 1575, IOACHIMO CAMERARIO FILIO, NORIMBERGAM

Salutem plurimam dat. Tuas accepi et, quae de globis scripsisti, intellexi. Velim etiam per occasionem, ubi ad Mercatorem scribes, ut mihi tales globos duos procures et per mercatores vestros Norimbergenses Viennam mittas, ubi pretium statim numerabo et cum globis tui memoriam conservabo. Qui has tibi reddit, est Nicasius Ellebodius Casletanus, tibi et mihi Patavii adhuc notus. Is proficiscens in patriam fortassis ad te in urbem vestram divertet. Excipias eum illa humanitate, qua soles doctos et bonos viros. Ex eo intelliges omnia, quae ad te scribere possim et de privatis et de publicis rebus; propter ea brevior sum in scribendo. Vale feliciter et si occasio fert, saluta senem Lerchenfelderum. Posonio 11. Iulii anno 1575. G⟨eorgius⟩ P⟨urkircher⟩.

## XVIII. GEORGIUS PURKIRCHER, POSONII 19. OCTOBRIS 1575, HUGONI BLOTIO, VIENNAM

Salutem plurimam dat. Has inclusas ex Transsylvania accepi, quas ad te mitto. Nicasius reversus ad nos dicebat inter illos populares tuos, quos superiore mense mihi per litteras commendaveras, fuisse et Utenhobium,

quod ego sane nescivi, quia tu nullius nomen expressisti. Plura enim humanitatis officio in eos contulissem propter nomen Caroli illius Utenhobii, cuius dulcissimos versiculos plurimos legi. Culpa igitur est tua et non mea, si minus humaniter in hac urbe sunt excepti. Scio plerumque peregrinos de inhospitalitate nostrorum conqueri, nollem esse in hoc crimine, cum sim extra culpam. Schvendium patrem audio Ratisponam venturum, ut intersit bellicis consultationibus nostris. Ubi ad filium scribes, eum meis verbis salutes quaeso et si aliquando ad nos reversus fuerit, ut me invisat, roga. Dominus Listius est nobiscum; ad vos rediisset, nisi mors optimi Habardii intercessisset. Bene vale et nunc, cum pestis plurimas crearit viduas, videas, ut observes illud: Elige, cui dicas— tu mihi sola places. Pos⟨onii⟩ 19. Octobris anno 1575. Georg⟨ius⟩ Purkircher D⟨octor⟩.

## XIX. GEORGIUS PURKIRCHER, VIENNAE 1. DECEMBRIS 1575, IOACHIMO CAMERARIO FILIO, NORIMBERGAM

Salutem plurimam dat. Binas tuas accepi, in quibus Nicasii nostri mentionem fecisti. Equum claudicantem Ratisponae reliquit, alterum huc Viennam nescio quare adduxit. Praedicavit mihi, quam humaniter abs te sit exceptus, sicut hoc etiam ex literis eiusdem intelligere potes. Res Hungaricae nunc sunt sic satis tranquillae, nec tamen de pace quid praeter nomen habemus. Hac aestate voluimus opprimere Daciae principem, nihil tale de nobis meritum, sed male successerunt conatus nostri. Miles noster caesus, Turci irritati nobis 4 arces eripuerunt. Fax belli fuit quidam Bekesius manifestus Arrianus. Is nunc latet apud Polonos et nova auxilia quaerere cogitat, ut denuo in Daciam irrumpat, sed inveniet eos semper paratos. In Poloniam Tartaris permixti Turci irruperunt et immensa praedia onusti discesserunt. Accesserant Leopolim usque et sunt, qui dicant eos ad 100000 hominum in servitutem secum abduxisse. Poloni tamen satis lenti sunt in eligendo rege et multos suspensos tenent. Alii imperatori nostro, alii Ferdinando fratri, alii Moscovitae, alii Ferrariensi, alii Dacico favent. Turci huius et Suecici causae patrocinantur. Posonii apud nos celebrabuntur comitia hoc mense Decembri. Imperator illis peractis Ratisponam ad imperialia comitia redibit. Haec sunt nova. Globos tibi curae esse gaudeo. Velim addi libellum, quo singula in globis illis explicantur. Molestum enim mihi esset nostratibus semper de illis concionari. Bene ac feliciter vale et salve cum tuis ex me et dominis Langueto et Lingelio, apud quos has scripsi. Vienna Calendis Decembris anno 1575. G⟨eorgius⟩ P⟨urkircher⟩.

# XX. GEORGIUS PURKIRCHER, VIENNAE AUSTRIAE, 6. IUNII 1576, PHILIPPO SIDNEO

Salutem plurimam dicit. Cum huc Viennam ad amicos excurrissem, inveni litteras, in quibus vidi te adhuc dulcem mei memoriam retinere, et ne ingratum me diceres, malui hanc epistulam exarare, quam vitium illud incurrere. Hungarica sunt nunc sic satis tranquilla. Turci sunt in armis, et ubi viderint nos turbas aliquas in Polonia excitare, statim miseras reliquolas Hungariae invadent. Unicum hoc est ex Hungaria nunc scriptione dignum. Arcem vicinam Transsylvaniae, quam Tömes War nostri Hungari vocant, funditus incendio et pulvere bombardico disiectam superioribus mensibus nunciabatur. Illo ipso tempore ingens vis ex terra erupit, quam vim Bassa Thömös Wariensis vellet saxis et terra impedire, voraginem illam replendo oleum et operam perdidit, omnia enim iniecta respuebantur. Bassa sollicitus de arce restauranda, locus enim ille propter Transsylvanos ⟨...⟩ Hungaros magni est momenti idem consuluit suos augures ut ⟨...⟩ ipsi dicerent modum, quo arx illa ⟨...⟩ prius tamen vis illa aquarum ⟨...⟩ Augures libris examinatis responderunt opus esse ut ⟨vir⟩ Christianus vasi includatur, vas saxis repleatur, sic claudatur ac voragini iniiciatur, sic erit futurum, ut vorago repleatur. Bassa statim Rascianum vino ingurgitari, vasi cum saxis includi et vas sic in voraginem, et desuper rudera arcis prioris iniici curavit, quo facto impetus aquarum sit sublatus, ut ne gutta quidem aquae supersit, ac iam nova materia de arce nova ibi convehatur. Haec coloni Hungari, qui repleverunt fossam illam hero suo Simoni Forgatio, qui summus apud nos capitaneus, narrarunt, et veram hanc narrationem esse credere potes. Haec de Hungaricis. Polonica puto tibi ex alio latere nota esse. Salutasti me Gallico vino in litteris Clusianis, ego hic Viennensi interim respondebo, et domi mea Hungarico te salutabo. Salutant te mei compotores domini D. D. Dadius, Lingelius, Blotius, Languetus, et ego quoque tibi omnia felicia et fausta precor, ut aliquando ad me breviter tamen scribas. Vienna ante ⟨...⟩ 6. Iunii anno 1576.

# XXI. GEORGIUS PURKIRCHER, POSONII 20. AUGUSTI 1576, HUGONI BLOTIO, VIENNAM

Salutem plurimam dat. Feliciter quod Deus bene vertat, iacta est alea. Matrem bis, fratrem matris aliquoties sum allocutus. Principia sunt bona. Volunt elocare puellam, sed quisquis ille fuerit, cui elocabitur, necesse est,

25 de arce nova *suprasc.*

ut hic Posonii habitet et rem domesticam, cuius curam mater statim deponeret, procuret. Rem praeterea, si quis se hic habiturum promittet, ad senatum Posoniensem, cui pupilli Posonienses curae sunt, et ad propinquos ac sanguine iunctos, qui Viennae sunt, esse deferendam, sine quorum consiliis et consensu decretum est nihil tale inchoare. Iam tecum delibera, an apud nos habitare et rem domesticam procurare velis. Absque hoc fundamento enim nihil extruemus, sed fundamento hoc posito, quod iam in tuo est situm arbitrio, rem puto ex animi sententia nobis successuram. Considera igitur omnia et optime perpende et postea senatus consultum ex scrinio pectoris tui profectum ad me perscribe. Nova apud nos mala. Turci 18. Augusti mane hora 9. aliquot pagos unico milliari Nitria, decem vero Posonio distantes sunt depopulati. Audio cursorem Const⟨antinopo⟩li ad vos venisse. Nova, quae attulit, nobiscum communices quaeso. Vale feliciter et salve. Posonii 20. Augusti anno 1576. G⟨eorgius⟩ P⟨urkircher⟩.

## XXII. HUGO BLOTIUS, VIENNAE 28. AUGUSTI 1576, GEORGIO PURKIRCHERO, POSONIUM

Salutem plurimam, vir clarissime. Brevibus illis tuis ad me litteris tam multa tamque gravia es complexus, doctissime Purkirchere, ut mihi responsionem tam feceris difficilem, ut unius dierum hebdomadis deliberatio vix satis fuerit ad ineunda ea consilia, quae negotium uxorium mihi aliquot menses integrum servare nec tamen matrem puellae aut propinquorum aliquem offendere posset. Diu itaque multumque cogitationes meas in omnes epistolae tuae partes versans amicos etiam nonnullos, quos mihi maxime fidos esse arbitratus sum, in consultationibus adhibui. Tandem a genio quodam, bono quidem, uti spero, (nam Deum auspicem saepe sum testatus) in illam mentem impulsus sum, ut statuerem precibus et te et matrem et propinquos tentare, primum ut mihi virginem illam elocare velletis, deinde hoc tantum concederetis, ut si longius tempus impetrare nequirem, saltem biennium mihi cum uxore in horum munerum, quae nunc obeo, functione et in sedibus gratuitis, quas Bibliothecae annexas iam nunc Caesar decreto Ratisbona huc ad Fabricarum Imperialium praefectum misso aedificari curat, commorari Viennae possem. Rem istic domesticam administrante vel matre, siquidem ipsi grave non esset, vel fratre puellae minore Argentorato revocando, ut interea temporis non meis tantum rebus verum etiam affinium consulere possem. Etenim cum semper appetens gloriae et praeter caeteros avidus laudis fuerim, meo beneficio multorum, maxime cognatorum et affinium meorum demereri inde usque ab adolescentia consuevi, eo semper collineans, ut aliorum de me extspectationem non adaequarem modo, verum etiam vincerem. Idem etiam in hac causa

praestare animus gestit. Quid ais, inquis, tantusne tu es, ut etiam affines tui, si nuptiae precederent, magna a te beneficia exspectare deberent? Magna certe praestare, optime Purkirchere, fortunae meae tenuitas non patitur. Erunt tamen mediocria illa, quae in fratrem virginis natu maiorem conferre statui, maxime si quis quae a quo in quem gratis profectura sint, perpendere voluerit. Stat enim sententia, si matrimonio hoc non indignus habebor, hoc potissimum laborare, ut et bibliothecarium munus et artis oratoriae professionem eo proveham, ut primum ex utraque functione aureos florenos quotannis 400 percipiam, ac deinde cum bona imperatoris venia in eum, quem fratrem puellae maiorem transcribam. Domum quoque gratuitam concedere habitandam mihi vero aliunde 200 aut 300 aur⟨eos⟩ florenos annuos conquiram, ne plane vacuus ad matrimonium accedere videar. Magna quidem, inquis, in spe habes, at quis praestabit eventum? Nemo, hercle: nemo enim futura potest praestanda promittere. Sed nescio, qua tamen coniectura veluti certa ducar me historiae vel Turcicae, vel Austriacae nomen tantundem facile a caesare rege et archiducibus Austriae impetraturum. Nam harum rerum segetem Bibliothecae Caesareae beneficio iam mihi subministratam satis abunde video. Non equidem falcem meam in Sambuci aut alterius cuiuspiam messem mittam, sed id agam, ne frustra vel triennium Bibliothecae praefectus fuisse videar. Et omnium principum Austriacorum gratia et favore dignus inveniar. Quae omnia commoda, si iniussu caesaris me hisce meis duobus muneribus temere abdicarem et mihi et affini meo futuro interciderent, nec ego unquam quidquam boni ab hac aula exspectare deinceps possem, in perpetua Austriacorum principum indignatione futurus. Bibliothecam 14 non amplius menses, artis vero oratoriae professionem tantum duos exerceo. Utrumque diu vaenatus vix tandem precibus et magnatum patrociniis a caesare impetravi. Multa et magna in utroque exercendo Caesari et patronis saepe recepi. Domum quoque gratuitam multis exhibitis libellis supplicibus vix iam tandem maecenatum patrocinio, quos in aula multos habeo, sum consecutus. Eam caesar instauratione egentem suis sumptibus pulcre mihi adornari curat. Haec itaque nunc repente et temere deserere nihil alius esse videretur, quam nimis leviter maiestate caesarea abuti inconstantiaeque dedecus prae me ferre. Has meas causas veras et, ut mihi videtur, aequas, clarissime Purkirchere, quaeso, admitte easdem apud alios quoque tuere meque voti compotem effice. Potes enim. Et te mea caussa non nolle, certe scio. Si repulsam passus fuero, Deum orabo, ne puella alium sponsum inveniat ullum, donec ea omnia, quae supra memoravi, perfecero. Id si anno primo fieri poterit, ne arbitreris me annum secundum exspectaturum. En habes, V⟨ir⟩ C⟨larissime⟩, ultimam sententiam meam, quae si vobis probabitur, vertice sidera feriam. Vale meque, ut potes, bea. Viennae 28. Aug⟨usti⟩ 1576. H⟨ugo⟩ Blotius.

De adventu Turcici nuntii nihil plane audivi. Sed heri, hora a meridie prima captivus huc adductus est, dux militaris Philippus Strossa Italogallus,

copiarum militarium dux. Quodnam ob crimen nondum constat. Opinantur subesse proditionis aliquod facinus aut cum Turcis coniurationem. Superioribus etiam diebus etiam Comarro huc explorator quidam Turca est adductus. Cum sciam certiora, perscribam. Est tamen certissimum Strossam huc esse advectum. Vidi eum hisce oculis et ratem, qua vehebatur et armis ac satellitibus, qui deducerent, plenam navem.

## XXIII. GEORGIUS PURKIRCHER, POSONII 3. OCTOBRIS 1576, CAROLO CLUSIO, VIENNAM

Salutem plurimam dat. Non misi pecuniam hactenus pro vectura, quia Germanicos numos colligebam et eos ipse ad vos ferre cogitabam, sed cum videam profectionem meam differri et moram hanc Mercatori ingratam esse, propterea mitto nunc 4 f 20 G; tantum enim Mercatori pro vectura petebas. Restant adhuc solvendi nescio quot floreni pro ipsis globis, quam pecuniam, an etiam sibi numerari velit Mercator, fac, ut sciam, et dabo operam, ut ipsi satisfaciat. Ad Camerarium nunc nihil scribo. Sum enim in vindemia occupatus et fortassis ipse etiam aliquem inde percipiet fructum, qui et phaseolis et seminibus melonum et sabdarifae gratior est futurus. Nuptiae nostri Hevidelii hilariter peractae. Ego tamen inde ad domum luctus sum avocatus Galgotium, ubi sororius coniugis meae Johannes Mairhofer, Contrascriba in tricesima ibidem est extinctus et, priusquam venirem, sepultus. Inde novae curae mihi incumbunt. Populares tui observarunt illud: Saepe etiam victis redit in praecordia virtus. Optandum est, ut fortes sint usque ad finem in latronibus istis averrucandis. Dominum Lingelium, ubi salutaveris, mone, ut vasculum sale repletum mittat. Dominum Habondium etiam saluta et toto hoc anno nullum pullum Castoreum captum dicas. Memor sum promissi. Neustadium miror eum ingredi posse nunc, cum omnia sint ipsis suspecta. Nova apud nos nulla. Bathoreium dicunt intumescere. Bene ac feliciter vale et salve cum omnibus communibus amicis et saepe ad nos scribe. Pos⟨onii⟩ 3. Octobris anno 1576. G⟨eorgius⟩ P⟨urkircher⟩.

## XXIV. GEORGIUS PURKIRCHER, POSONII 5. OCTOBRIS 1576, HUGONI BLOTIO, VIENNAM

Salutem plurimam dat. Sat cito, si sat bene. Illud volo te primo considerare, cum cogitas, quare tam tarde rescribam. Ago causam tuam ea diligentia et fide, quam in amico requiris, et adhuc bene omnia succedunt.

Mater habet Viennae consanguineos, cum illis negotium communicavit et quid rescribant, ab illis expectat. Inter eos est et quidam M⟨agister⟩ Cornelius Grienwald, vicinus domini Doctoris Lingelii, quem ut tuum facias, cura; ille te in reliquorum gratiam insinuabit. Apud nos habet mater fratrem, Paulum Seyberlich, virum consularem et literatum; non oberit tuae causae, si ad eum scribes et candide aperto animo tuo te totum et tuam petitionem honestissimam ipsi commendabis. Mater absque eius consilio nihil facit. Altera causa, cur tardius rescribam, haec est. Prima die Septembris fui in oppido Sancti Georgii; ibi in ipso meridie domus quaedam fulmine tacta, et sic vicinae et contiguae domus septem exustae, in quarum numero est et Curia nobilitata huius matronae et filiorum Armprusteri. Sciebam eam incendio isto perturbatissimam fuisse, propterea observavi illud, ut in tempore ad eam venirem, sicut et feci bis ab illo tempore, et quidem heri, postquam litteras a filio Paulo Armprustero accepissem, in quibus ipse cum fratre hoc tuum negotium mihi commendant, ut faciam omnia, quae videro ex commodo et honesto fieri posse. Dixi hoc matronae me pro ipsa et contra ipsam acturum, animum tuum repetebam de biennio isto, addebam et illud, cum in Viennensi Archigymnasio per annum multae sint feriae, te toto illo tempore non Viennae, sed hic Posonii habitaturum et rem domesticam pro viribus curaturum, ut nunc tempore vindemiae, et alioquin saepe per annum. Hoc argumento propemodum eam expugnavi, dicebat tamen se velle expectare, quid Viennenses rescribant. Iussi, ut eos moneret; promisit se facturam. Sic ab ea discessi et filio Paulo rescripsi. Voluissem tabellarium eundem Argentinensem ad te mittere, sed hinc proficiscitur in Moraviam, et sic per Bohemiam ad suos revertetur. Non deerunt tibi aliae occasiones ad utrumque Armprusterum scribendi. De Johanne revocando nihil scribas, intelligo enim eum strenuo literis operam dare, propterea non esset consultum eum revocari. Patiatur adhuc mater aliquid et hoc biennium, onus feret levius, si tu tanquam Simeon eam in cruce gestanda diligenter iuvabis. Haec habui in tuo negotio rescribenda, iam vide, ut tibi ipsi non desis. Magistrum Cornelium illum occupes et huc ad Paulum Seyberlich scribas. Interim ego flammam illam accensam hic in animo matris non tantum alam, sed gratis ventulis et aura suavissima conabor augere, donec incendium omnino erumpat. Bene ac feliciter vale et perlecta hac mea epistola suaviter exulta. Rescribe saepius nec observa semper illud, ut par pari referam; lente enim et sapienter tales causae sunt agendae. Tuas publico cursori tradas, dones eis etiam aliquid, ut in reddendis eis sint alacriores. Nova, quae habetis, diligenter ad nos perscribe et iterum vale. Pos⟨onii⟩ 5. octobris anno 1576. G⟨eorgius⟩ P⟨urkircher⟩.

## XXV. GEORGIUS PURKIRCHER, POSONII 11. NOVEMBRIS 1576, IOACHIMO CAMERARIO FILIO, NORIMBERGAM

Salutem plurimam dat. Accusas me lentum esse in numeratione pecuniae, quam pro me exposuisti. Fateor et ipse culpam, habeo tamen multas causas, quae scribere possem, sed malo deprecari culpam et tarditatem illam aliquo specimine gratitudinis compensare. Scripsi ad nostrum Clusium quoque me habere vasculum vini tibi dedicatum, deesse modum illud transmittendi, ut me eum edoceat, rogavi, sed hactenus ab eo nihil intellexi. Iam tuum erit cum mercatore aliquo Viennensi agere, ut vasculum illud ad se accipiat et ad te salvum et incorruptum transmittat. Pecuniam omnem a me Clusius accepit. Interim gratiam tibi habeo pro officio et, ut me quamprimum certiorem reddas, quid cum vino facere me velis, rogo. Nova apud nos nunc pauca. Messis fuit laetissima, vindemia mediocris. Lues pestilentialis et nos et vicinos Turcos molestat. Nostrum onerarium Const⟨antinopo⟩lim iam est transmissum. Turci laetantur bolo allato, nescimus tamen, an pacem aut bellum capiemus hoc hamo. Alioquin omnia adhuc tranquilla nec post mortem nostri imperatoris mutatio ulla est secuta. Polonus, ut audio, in oppugnando Dantisco est occupatus, ut sic rebus domi pacatis tandem et vicinos suos lacessere possit. Transsylvania est pacata. Arx Huzt Transsylvaniae vicina, nuper ex insidiis pro Polono occupata, illis, qui nostrates erant antea in ea, captis et trucidatis. Haec principia mihi non placent. Haec nunc habui. Bene et feliciter vale et salve cum tuis et rescribe. Pos⟨onii⟩ 11. Novembris 1576. G⟨eorgius⟩ Purkircher.

## XXVI. GEORGIUS PURKIRCHER, POSONII 28. NOVEMBRIS 1576, HUGONI BLOTIO, VIENNAM

Salutem plurimam dat. Binas tuas, Vir Clarissime accepi, ad quas quid respondeam, nihil aliud habeo nisi matrem puellae cum puella ipsa graviter decumbere. Speramus tamen utramque Dei beneficio in integrum restitutam iri. Ubi postea ad nos venire et negotium inceptum continuare voles, id in tuo arbitrio est situm. Haec tempora adhuc pro nuptiis non sunt apta, praesertim cum tota illa domus horribiliter sit infecta. Necesse erit igitur negotium differri ad tempus, interim tamen nihil nocebit, si te per literas insinuabis in amicitiam et Viennensium et apud nos Pauli Seyberlich. Ad Viennenses aditum tibi Grienwald parabit. Paulo si quid scribes, tuas ad me mitte, ego postea eas offeram et te pro viribus commendabo. Nova apud nos pauca. De peste omnes anguli in Hungaria conqueruntur. Ad Tibiscum

usque adeo saevit haec lues, ut homines in rabiem adigat et sic rabiosi per campos vagantur omnia invadentes sicut bruta rabiosa, nec possunt domari, nisi sclopetis occidantur, quod a fide dignis hominibus intellexi. Haec nunc habui. Nova de disserto Bathoreo velim scire, an sint vera, et quid attulerit orator nuper Const⟨antinopo⟩li. Si nosti, fac, ut sciam. Bene vale ac spera. Pos⟨onii⟩ 28. Novembris anno 1576. G⟨eorgius⟩ P⟨urkircher⟩.

## XXVII. GEORGIUS PURKIRCHER, POSONII 1. DECEMBRIS 1576, IOACHIMO CAMERARIO FILIO, NORIMBERGAM

Salutem plurimam dat. Scio te sollicitum fuisse de numis illis mittendis, quos citius misissem, nisi varia impedimenta intercidissent. Sat cito, si sat bene, cum summa non sit magna. Misi autem ad dominum Clusium nuper pecuniolam illam et spero hactenus eam ad te missam esse. Nunc mitto ad te vasculum vini rubri urnarum quatuor, quod cum tuis suaviter meo nomine consumas et seni illi Lerchenfeldero gustandum praebeas, rogo. Uno milliari supra nos, ubi Moravus fluvius illabitur in Danubium, est arx Thebana, Germani Theben vocant, sita; in illis montibus habeo vineas, in quibus est natum hoc vinum. Poteris igitur Noricis tuis propinare vinum Thebanum, Hungaricum tamen. Clusius praedicavit mihi mercatoris industriam in mittendo vino ad vos, propterea non dubito, quin salvum et incorruptum ad vos perferetur. Vasculo inustum est tale signum , quod ideo factum, si mercator plura vascula mitteret, ut tuum seligere scias. Isagogen adhuc expecto, si ulla est edita a Mercatore, sicut Schöneri editam scio et habeo. Cura, quaeso, ut apud vestros et Francofurdienses bibliopolas talis libellus perquiratur et, si haberi potest, ad me mittatur. Scio te habere et Chalcitidem, ex fodinis Mysnicis; rogo, ut portiunculam elegantem ad me mittas et annotes, in quo loco et in quibus fodinis metallicis inveniatur, ut et nostros Hungaros possim docere, qui tantum ad metallica illa quaestuosa sunt attenti et reliqua omnia parvipendunt. Si praeterea habes alia metallica, quae mihi etiam pro Isagoge esse possunt, ad similia apud nostros inquirenda, ea quoque mecum communices, rogo. Si facient officium, tu quoque interesse tuum habebis. De Glycyrrhiza quoque Babenpergensi velim annotes mihi, an verum sit, quod Matheolus pingit et scribit, eam sphaerulas proferre sicut, sicut in platano aparent. Deinde annotes mihi modum, quem Babenpergenses in ea colenda observent et quo anni tempore radices illas praecidant, quas exicatas postea per Germaniam passim vendunt. Habeo enim hortulum, in quo valde luxuriat haec radix. Praeterea velim scire culturam et putationem illam, ne mihi radices meae frustra perirent. En habes, quid te mei causa facere velim. Si tu vicissim me tui causa quid hic apud nostros facere voles, tu pari candore mihi impera et

dabo operam, ut omnia recte curentur. Nova apud nos nunc pauca. Turci silent et sunt tranquilli. Acceperunt a nobis aureum ramum, quo putantur sopiti esse. Ego pestem, quae crudeliter inter eos grassatur, silentii huius causam esse puto. Budae 200 et 300 uno die, Albae Regali intra mensem ad 3000 hominum mortua dicuntur. Turci canes nigros occidunt et prae foribus affigunt, et sic sacrificio et foetore illo putant se abigere posse pestem. Arci Canisae vicina est arx Segesd, nunc Turcis subiecta, de qua accipe hanc verissimam historiam. Hac aestate, cum pestis locum illum valde affligeret, edocti erant Turci, si Christianum vivum sepelirent, fore, ut pestis sedetur. Erat ibi quidam Hungarus pedes captus, ab eo auferunt compedes, ducitur extra arcem, monstratur ipsi locus, ubi sepulchrum fodiat; obtemperat miser, interrogat tamen, cur sit faciendum. Dicebant illi Turcam esse mortuum ea magnitudine, qua ipse esset, et pro eo sepulchrum fieri, et iusserunt, ut id faciat bene profundum. Miser sepulchro parato volebat egredi; ibi Turci in eum irruunt et pronum in sepulchrum iniiciunt et statim terram effossam supra ipsum ingerunt, et sacrificio peracto in arcem discedunt. Sepultus ille quiescens aliquamdiu cogitat, quid facto opus sit, et postea manibus circum circa incipit carpere et sub se trudere terram. Interim divinitus offendit in sepulchro frustum ligni, quod cum terra erat ingestum; illius opera melius deinde cuniculos agit et paulatim terram dorso incumbentem sub se deprimit et ita circa dimidium noctis ex sepulchro et semimortuus ibi ad portam arcis decumbit. Mane Turci egressi offendunt hominem et quaerunt, quomodo sit liberatus. Se opera Jesu Christi veri Christianorum Dei liberatum respondit. Begus volebat, ut denuo sepeliretur. Reliqui Turci pro eo intercesserunt. Sic miser iterum compedibus est inclusus. Postea plurimis diebus elapsis educitur extra arcem ad baiulandam aquam, ibi cum vidit unicum Turcam adesse custodem, arripit eius ensem, ipsum occidit, se a compedibus liberat et ita salvus Canisam venit, ubi nunc pro pedite servit et ipse hac septimana meo affini Iosepho Styzel, qui pixidarios equites Canisam duxit, hanc historiam recitavit. Audio et nunc miserum totum pallere ac semimortuum apparere. In hac urbe quoque pestis adhuc serpit. Haec nunc habui. Vale et salve feliciter cum tuis et si senex ille adhuc vivit, eum quoque per tuos salutes et nomen istius ad me scribas velim, et adde quam propinquus fuerit sanguinis meo socero Wolfgango Lerchenfeldero. In talibus enim sum curiosus, ignosce, si nimium sum molestus. Iterum vale. Posonio Calendis Decembris anno 1576. Georg⟨ius⟩ Purkircher.

De Peucero et collegis, si quid certi habes, fac etiam, ut sciam.

69 *in marg.* De Peucero... ut sciam.

## XXVIII. GEORGIUS PURKIRCHER, POSONII 28. DECEMBRIS 1576, IOACHIMO CAMERARIO FILIO, NORIMBERGAM

Salutem plurimam dat. Precor tibi et tuis hunc annum novum cum aliis multis sequentibus faustum et felicem. Modum illum destillandi vina, de quo spem facis, expecto. Nuper incidi in nobilem quendam Austriacum ⟨...⟩ est ex familia, qui referebat se habere colonos ita peritos, ut scirent ex pyris sylvestribus elicere succum certantem potentia et odore ipso cum vino destillato. Quaerebam, num serio hoc diceret, ipse iuramento dicta confirmabat addens et illud, superioribus annis destillatum vinum emebatur Viennae et ferebatur ad loca vicina Austriae et Bavariae, ubi vini non est tanta copia, nunc vero succus ille emitur et pro vino passim potatur, a quo differt solo levi sapore ex adustione nato. Ecce paradoxon, verum tamen, quia et ab aliis hoc postea intellexi. Iam tu sis iudex, quomodo hoc fieri possit. Nova Belgica mihi non placent. Polonus attrahet et Moscovitas et Turcas, vae Germaniae propter vicinos istos. Venit his diebus cursor Const⟨antinopo⟩li afferens nos pacem octennalem cum Turcis habituros, quia Turci omnes vires suas converterent contra Persas inquietos. Vidit hic cursor et Agas et Ianizaros ad 9000, qui Const⟨antinopo⟩li in militiam illam allegabantur. Classis nulla paratur hoc anno praeter triremes illas, quae pro defensione servantur. Hungarica sunt sic satis tranquilla. Utinam pax ista reliquias miseras non absumat. Haec nunc habui. Bene ac feliciter vale et salve cum tuis. Pos⟨onio⟩ 28 Decembris anno 1576. G⟨eorgius⟩ P⟨urkircher⟩.

Petunt amici mei nobiles quaedam; an respublica Norica sumat pecuniam mutuo cum solutione interesse, ut vocant, et quantum solvat. Ego confugio ad te et rogo, ut id per occasionem explores et me quamprimum certiorem reddas, aut, si aliam rem publicam nosses, quae talem pecuniam accipit, id quoque mihi significes, quaeso.

## XXIX. GEORGIUS PURKIRCHER, POSONII 25. IANUARII 1577, HUGONI BLOTIO, VIENNAM

Salutem plurimam dat. Catharina illa, de qua nosti, fuit filia Blasii Behem, qui primas tenuit inter cives in hac urbe, non tantum quia abstemius erat, sed quia 7 vel 8 linguas tenebat et iudicio valebat. Mater vero est soror Seyberlichiorum duorum, qui apud nos sunt, et tertii, qui habitat Tulnae, quorum omnium mater fuit soror matris Cornelii Grienwald, quem nosti.

Haec mater mortuo Blasio Behem, patre Catharinae, nupsit Christofero Armprustero, ex quo duo illi Armprusteri nati, qui nunc Argentinae vivunt. Vidua Zimermani Viennensis matertera est Seyberlichiorum et Grienwaldi. Hic habes familiam totam. Quo autem in loco sit illud negotium nostrum, ignoro; nolui enim propter silentium tuum rem urgere nec matrem cum puella accessi, quia ipsi parietes domus illius videbantur infecti fuisse. Vana sunt illa, quae te intellexisse ex amico scribis, et contrarium scio me tibi dixisse, cum disputaremus de loco, in quo cum puella tibi esset habitandum. Tunc enim dixi matrem iam esse defessam et velle totum onus domesticum in novum generum transferre, ac propterea necessarium esset generum illum hic cum matre habitare. Haec ita se habent, nec contrarium tibi persuaderi sinas. Si scribes Argentinam has adiunctas tuis includas et Armprusteros meis verbis salutes velim. Nova apud nos nulla. Querelae de peste, Dei beneficio, iam remittunt. Si voles, poteris secure Köpchelium et ad nos venire, ubi coram de hoc negotio colloquemur. Nova, quae habetis, ut mecum communices, rogo. Bene ac feliciter vale. Pos⟨onii⟩ 25 Ianuarii anno 1577. G⟨eorgius⟩ P⟨urkircher⟩. Tumulos Sambuci audio habere dominum secretarium Istwanfi, ut habeam transcriptos, tibi sit curae, quaeso.

Regestum: Georgius Purkircher, Posonio, 25. Ianuarii 1577. Recenset Genealogiam Virginis Katharinae Behem et me in Köbchebium et Posonium invitat.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Vidua Zimermanni Viennensis N. soror illius viduae | M. Cornelius Grienwaldt | | |
| | Grienwaldia ex Siberlichio | Siberlichius Posonius | |
| | | Siberlichius Posonius | |
| | | Siberlichius Tulnae | |
| | | Siberlichia Posonii ex Blasio Behem et ex Christofero Armprustero in secundo matrimonio | Catherina Behem |
| | | | Paulus Armpruster |
| | | | Ioannes Armpruster |

## XXX. GEORGIUS PURKIRCHER, POSONII 15. APRILIS 1577, CAROLO CLUSIO, VIENNAM

Salutem plurimam dat. Si scivissem dominum Sidoneum Pragae esse, aliquid ad ipsum scripsissem. Rogo, cum ad ipsum scribes, ut eum reverenter ex me salutes ac me et omnia mea officia ipsi offeras et commendes. Hubertus, ut audio, praesensit iram non saxeam sed adamantinam. Plane et vestigia cernebat multorum cruenta, propterea maluit discedere quam iram experiri, et sapienter meo quidem iudicio id ab eo est factum. Apothecarium si voletis onerare, sarcinam non recusabit; si vero in authumnum vultis munera vestra differre, illud etiam in vestro arbitrio erit situm. Interroga, an dominus Aicholtzius in Austria possit habere tribulos aquaticos, ut mihi quoque aliquid ex illis et quidem recentibus mittat, aut radices ipsas, ut in nostris fossis eas plantare possim. Nova haec scribere possum. Schintaviae, ubi habitat Iulius Comes a Salmis, nunc 4. die Aprilis proxime praeterito, cum rustica quaedam diu in partu laboraret tandemque brachiolum infantis appareret, adstantes mulierculae omnes consternabantur ac, quia ante sexies infeliciter partum mortuum edidit in lucem, hunc quoque mortuum proditurum praedicebant. Parturiens interim semper diaboli opem alta voce implorabat, ac cum exactius examinaretur, fassa est se septem hos foetus ex diabolo concepisse, et cum instaret partus, diabolum semper manu ventrem compressisse. Quid fit? Edit et hunc infantem mortuum in lucem et facies eius infantis nigrificabat. Interrogata postea iterum per concionatores idem est fassa et addidit illud fuisse principium, absentem maritum cum aliquando ipsa summo opere desideraret, venit diabolus in forma mariti et cum ea rem habuit, et postea semper in illa forma accessit, etiam in lecto dormitante vero marito. Nunc in puerperio custoditur iussu Comitis et postea luet poenas tanto scelere dignas. Verissima est historia. Haec nunc. Vale feliciter et amicos saluta. Pos⟨onio⟩ 15. Aprilis anno 1577 G⟨eorgius⟩ P⟨urkircher⟩.

## XXXI. GEORGIUS PURKIRCHER, POSONII 19. APRILIS 1577, IOACHIMO CAMERARIO FILIO, NORIMBERGAM

Salutem plurimam dat. Tibi vinum incorruptum esse transmissum et placere gaudeo; fuerunt etiam grata, quae de glycyrrhiza adiunxisti, gratissima vero futura sunt illa, de quibus mihi spem fecisti. Semina missa terrae statim mandabo et experiar, quid solum nostrum possit. Grana phaseolorum meorum mitto; hac aestate spero me recentiores habiturum, potero et de illis tecum communicare. De sabdariffa nihil habeo, quod mittam. Incidi nuper in libellum Germanicum Arnoldi de Villa Nova, opera

Henrici Wolfii medici vestratis in lucem editum; miror eum tales ineptias celebrare posse. Nova apud nos tristia habemus. Nunc 21. Martii hora sexta pomeridiana fulmine tacta arx Canisa et in momento oculi funditus eversa. Asservabantur in conclavi quodam 60 vascula pulvere bombardico plena; illa sunt simul et semel accensa et sic arx tota est disiecta. Praefectus arcis Johannes Bornemizza cum parte muri in vallum abiectus triduo post obiit. Uxor et filia eiusdem in frusta laceratae sicut et alii multi, quorum numerus adhuc ignoratur. Nobilis quidam Germanus Rainer cum lecto, in quo propter dentium dolorem decumbebat, est in aërem abductus. Turci, ubi hoc rescivissent, statim conveniunt et locum disiectum, natura tamen munitum, occupare volunt, sed virtute nostrorum fortissime sunt repressi. Die 22 Martii Pragae cum cadaver imperatoris ad sepulchrum ferretur, subito tumultus in populo et fuga tanta exorta ita, ut et sacrificuli ipsi et miles Pragensis fugeret, ac locum suum desereret, nemo tamen causam fugae istius sciebat. Haec nunc. Bene ac feliciter vale cum tuis et senem Lerchenfelderum per occasionem saluta. Posonii die mortis Philomelae anno 1577 G⟨eorgius⟩ P⟨urkircher⟩.

## XXXII. GEORGIUS PURKIRCHER, POSONII 8. SEPTEMBRIS 1577, IOACHIMO CAMERARIO FILIO, NORIMBERGAM

Salutem plurimam dat. Intellexi ex nostro Clusio, non sine magno dolore, tibi tuam carissimam coniugem divinitus morte praereptam esse, et scio, cum costa ex corpore non sine ingenti cruciatu avellatur, te propterea nunc in magno et manducare panem doloris, ut utar verbis sacris ad hoc negotium non ineptis. Sed quia nosti vera et firma remedia, quae tanto dolori opponi possunt, nolo aliquid tale ad te scribere, ne videar diffidere pietati tuae, quae nunc a Deo Optimo Maximo coniugis tuae carissimae inopinata morte satis graviter tentatur. Videmus Hungariam et alia florentissima regna totum denique quasi orbem iam quasi animam agere et imminere ultimum illum totius machinae interitum. Beati igitur, qui in domino moriuntur, sicut et illi, quos dominus veniens offendet vigilantes. Crato noster est Viennae. Scribit Peucedano melius nunc esse quod si quid de eo et de aliis habes a fratre Ludovico, id diligenter ad me ut scribas, rogo. Superioribus annis obiit meus nepos ex sorore Wittebergae; velim ipsi erigere marmor cum versiculis aliquot; quaeso, scribe ad fratrem, an Lipsiae possit haberi marmor ex vicina sylva Harcinia et an sint ibi latomi, qui aliquid sculpere norint. Nova nulla alia habemus. Reliquiae pestis adhuc apud nos haerent, Turca, altera pestis, etiam nos subinde affligit. Iaurini nuper 160 ex nostris caesi et 172 capti. Begus Albensis cum nostris tympanis et vexillis Albam Regiam est ingressus triumphans. Haec est facies rerum nostrarum. Deus det meliora. Bene vale et salve cum tuis. Pos⟨onii⟩ 8. Septembris anno 1577 G⟨eorgius⟩ P⟨urkircher⟩.

# APPENDIX

## 1. EPIGRAMMA HENRICI BARONIS A STARHEMBERG

Est domus immensum terrarum nota per orbem,
quae regit Austriacas Ungaricasque plagas.
Hanc princeps sapiens sine vi, sine caede gubernat,
esse prius placida nil sibi pace putat.
Si qua domus clypeos aut si benefacta parentum
praedicat et veteres inclyta iactat avos,
non huic stemma deest, non clarum nomen avorum,
quaslibet exuperat Marte togaque domos.
Adde, quod et Musas magna virtute tuetur
quaque potest doctos parte iuvare, iuvat.
Sed recitare huius prolixo carmine laudes
alterius fuerit temporis illud opus.
Maximus hac etiam satus est rex Aemylianus,
cum patre perfugium, Teutonis ora, tuum.
Huic quia tu regi Salomonis scripta dicasti,
crede mihi, laudem, docte poeta, feres.
Omnipotens, aeterne Deus, cui ius datur uni
et transferre domos et stabilire ducum,
te servante, Deus, maneant vivantque per aevum,
Austriacam proceres qui moderantur humum.

## 2. I⟨OANNES⟩ SAMBUCUS: ⟨EPIGRAMMA⟩

Hoc genus effecit, vati quod cesserit hostis,
fregerit et supplex agmina dira, precum.
Nos etiam contra immanem repetamus Agarum:
subsidium aethereo sic venit usque polo.

# 3. ⟨IOANNES⟩ SAMBUCUS: ⟨AD DOMINUM ANTONIUM VERANTIUM, ARCHIEPISCOPUM STRIGONIENSEM⟩

Strigonii praesul Verantius aptat habenas,
  pulchrius ut Christi commoderetur opus.
Non hunc ambitio: virtus, doctrina probavit,
  caesaris hoc culmen iudicioque tenet.
Vive diu, antistes, curae vegetentque senectam,
  usibus et patriae fata benigna regant.
Ante nec a nobis discedas, Pannona tellus
  cladibus indignis quam relevata siet.

# 4. IN HONOREM DOCTORATUS EXCELLENTISSIMI DOMINI GEORGII PURKIRCHERI CARMEN A GULIELMO BEROHARTO BEHMO A FRIDESHAIM SCRIPTUM

Dive, quid occultas radiantia munera, Phoebe?
  Hic novus est miles, qui tua castra petit.
Pande igitur (multis velut antea saepe solebas)
  nec pigeat clausas nunc reserare fores.
Purkircher adest, cuius tibi nota poesis,
  hanc artem didicit te quoque dante sacram.
Sed iam maiores merito sibi poscit honores,
  quorum tu pariter diceris esse pater.
Hisque Machaonium nomen tribuere parentes,
  dictus qua claret miles in arte satis.
Nunc igitur celebrandus eris, quod laurea nectas
  serta, quibus capitis cingere summa cupis.
Serta caput decorant, doctam sed gloria mentem,
  est animo celebris, corpore magnus honos.
Ast ego nunc ad te, praestans, me verto, Georgi,
  paucis exoptans omnia fausta tibi.
Namque caput mitra certe redimitus es apta
  et doctrina animum vinctus es ipse tuum.
Ergo novo Musae primum gratantur honori,
  iustum promittunt auxiliumque tibi.

Offert se promtam charissima patria tellus
atque hi, quos nostrae Pannonis ora tenet.
Nam decus es patriae, cur te non diligat ergo
ferreque suppetias cur tibi, quaeso, neget?
Te fovet ingenio doctorum turba virorum,
dulces cognati te quoque corde colunt.
Saepe tuam pauper, morbo vexatus iniquo,
atque tuam dives saepe vocabit opem.
Tunc te divitiis debet praeponere cunctis,
cui tamen haud quicquam gratius esse potest,
et tibi non minimam cogetur solvere partem,
praemia quae magni iusta laboris erunt.

## 5. IOACHIMUS EDELINGUS: ⟨DE POSONIO⟩

Nec procul Hamburgum est: Moravae e regione videntur
ostia, Danubio iungitur ille suo.
Hunc ubi paulo infra traiecimus, ardua nostris
moenia Pisonis curribus inde patent.
Cum medico Purkirchero Sambucus in urbe
nos patria, Ungaricae lux regionis, adit.
Quo ductore gradus altae conscendimus arcis
cernimus et, pulchrum quicquid in arce fuit,
eximius gravitate senex Mordaxius in qua
captivi curam Saxonis acer habet.
Hospitibus mittit nobis hic vina senatus,
lecti ex Teutonica nonnisi gente viri.
A Suberlichio valde tractamur amice,
qui sapiens consul sustinet urbis onus.
Legatusque Buda Camerarius urbe reversus
colloquiis longum non sinit esse diem.

## 6. NICOLAUS ISTVANFFY: ⟨DE HORTO STEPHANI RADETII⟩

Immo etiam interdum te formosissimus hortus
excipit arboribusque animum delectat amenis,
quas inter tilia est densa viridissima fronde
intus habet tripodas et pulchra sedilia docta
artificum fabricata manu, tum culmine subter
sola sinu recipit numerosam concava turbam,

Hanc Musis sacram et sacram tibi, pulcher Apollo,
Radetius celebri vatum comitante caterva,
dum nimium alterna pensat requiete laborem,
ingreditur. Tu saepe comes, Sambuce, fuisti
et nunc esse soles; nec abest Purchyrrhius atque
Nicasius, quibus ore loqui dat Musa rotundo,
seu verbis sit opus Graiis seu forte Latinis,
insuper et varias herbarum agnoscere vires
languidulisque acres membris depellere morbos
posse dedit Pythius medicinae inventor Apollo.

## 7. CAROLUS CLUSIUS: PHASEOLUS MAIOR VARIUS, SIVE PURKIRCHERIANUS

Caulis in Priore statim a radice in aliquot sarmenta oblonga dividitur, lenta, vicinos stipites et virgulta amplectentia reliquorum Phaseolorum modo: in singulis alis terna folia vulgari similia, attamen atriora ex eodem pediculo nascentia, extremo imparitatem, ut in vulgaribus, faciente: ex iisdem alis breves ramuli prodeunt, multis floribus vulgari haud ab similibus, minoribus tamen, albis, uvae in modum congestis onusti, quibus succedunt siliquae oblongae, vulgaribus multo latiores, continentes ternos aut quaternos fructus planos communibus phaseolis latiores, albos, et multis nigris maculis aut venis ab hilo in latitudinem ductis elegantissime depictus. Serotina admodum fuit anno 1576. semine a c⟨larissimo⟩ v⟨iro⟩ d⟨omino⟩ Georgio Purkirchero Posoniensi archiatro, p. m. mihi pro nostra amicitia communicato nata haec planta, ideoque ad frugem pervenire non potuit. At ipsi Purkirchero, dum vixit, atque postea eius uxori (nempe ad pergulas aprico loco satus hic Phaseolus) singulis annis maturum fructum dedit. Sed etiam hoc anno eleganter mihi excreverunt aliquot eius plantae, quas ad maturitatem pervenire posse existimabam: sed ob solis radiorum defectum, spe mea frustratus sum.

*

Prioris fructum dominus Purkircherus primus in Pannoniam intulit ex Neapolitano regno delatum singulisque annis coluit et eius genus, ut dixi, conservavit: quam ob causam apud rei herbariae illius regionis studiosos Purkircheri cognomen inditum et, ut Phaseolus Purkircherianus nuncuparetur, obtinuit.

## 8. MARTINUS RAKOVSKY, BISPEKFALVAE CIRCA TRENCZINIUM 28. DECEMBRIS 1571, NICOLAO RAKOVSKY, RAKOVO

...Accepi etiam versus tuos. Eos mittere post meos constitui ad doctorem Purkircherum, qui mihi operam suam promisit in typographia. Sed necdum scio, an sint redditi recte dicto Purkirchero quidque agatur cum eis...

## 9. CAROLUS CLUSIUS, VIENNAE 14. MARTII 1575, IOACHIMO CAMERARIO FILIO, NORIMBERGAM

...Mitto aliquot semina cum ex eorum numero, quae ipse collegi, tum ex his, quae ad me missa sunt aliunde. Tuas ad dominum Purkircherum curavi, quibus et meas addidi eumque monui, ut si quid responsum vellet, ad me perferendum curaret...

## 10. CAROLUS CLUSIUS, VIENNAE 1. MAII 1575, IOACHIMO CAMERARIO FILIO, NORIMBERGAM

...Cogitabam ante quindecim dies Posonium ad dominum Purkircherum proficisci, verum necessaria negotia me hic detinuerunt...

## 11. CAROLUS CLUSIUS, VIENNAE 24. AUGUSTI 1575, IOACHIMO CAMERARIO FILIO, NORIMBERGAM

...Purkircherum hoc anno invisere non licuit, uti constitueram, literas autem tuas diligenter curavi. Scripsi ad eum aliquoties, sed ille semper tardus est in respondendo, cum tamen soleat in aliis diligentiam summopere desiderare. Turbulentus Hungariae status facit, ut rarius ad amicos scribat...

## 12. CAROLUS CLUSIUS, VIENNAE 13. SEPTEMBRIS 1575, IOACHIMO CAMERARIO FILIO, NORIMBERGAM

...Tuas ad dominos Purkircherum et Blotium curavi...

## 13. CAROLUS CLUSIUS, VIENNAE 14. OCTOBRIS 1575, IOACHIMO CAMERARIO FILIO, NORIMBERGAM

...Salutat te dominus Aicholtzius et dominus Purkircherus noster, qui se scripturum prima occasione pollicitus est...

## 14. CAROLUS CLUSIUS, VIENNAE 24. OCTOBRIS 1575, IOACHIMO CAMERARIO FILIO, NORIMBERGAM

...Verum Alcea ista non est Penae et Lobelii (nam nusquam, quod equidem meminerim, Alceae arborescentis meminerunt) Althaea arborescens, sed peculiare quoddam genus illis ignotum, quod ex America primum in Hispaniam delatum fuit, deinde Italiae communicatum, unde ad nos primum missum fuit huius semen ab Alphonso Pantio, piae memoriae, Sabdariffae nomine nobis nunquam semen perficere voluit; serius enim florere solet. Purkirchero tamen superiore aestate perfecit, intelligo anno 74. Sed sine dubio ad Alceae genera referenda est haec planta. ...

## 15. CAROLUS CLUSIUS, VIENNAE 5. DECEMBRIS 1575, IOACHIMO CAMERARIO FILIO, NORIMBERGAM

Tuas nudiustertius sub noctem accepi, postridie domino Cratoni suas reddidi, cuius responsum cum domini Purkircheri literis accipies. Is enim superiore hebdomada apud nos fuit. ... Sabdarifae semen puto me misisse, quod superiore anno Caesar ex Hispaniis accepit, Purkircherum autem commonefaciam, ut, si semen collegerit, et tibi et nobis communicet, nam annua est planta.

## 16. CAROLUS CLUSIUS, VIENNAE 31. IANUARII 1576, IOACHIMO CAMERARIO FILIO, NORIMBERGAM

... Sabdariffae semen a Purkirchero petii. Is sibi maturuisse negat. ...

## 17. CAROLUS CLUSIUS, VIENNAE 24. IUNII 1576, IOACHIMO CAMERARIO FILIO, NORIMBERGAM

Tuas literas ad dominum Purkircher (qui ante aliquot dies apud nos fuit) curavi. ...

## 18. CAROLUS CLUSIUS, VIENNAE 26. IUNII 1576, IOACHIMO CAMERARIO FILIO, NORIMBERGAM

Salutem dat. Heri responderam prioribus tuis, clarissime Camerari, literasque procuratori Hen tradideram. Verum mihi hodie ante meridiem sunt relatae cum tuis secundis et cista, in qua globi ad Purkircherum. Commode una hora ante literas ab ipso Purkirchero acceperam, quibus perquirebat, an globi allati essent. Hodie illi respondebo et significabo apud me esse, simulque precium et vecturam perscribam, nam Hen procurator significaturum mihi dixit. Pecuniam illico mittet Purkircherus, non dubito, per eum, qui cistam a me repetet. Miram historiam perscribit idem Purkircherus, quae his diebus accidit, uti accepit ab iis, qui spectatores fuerunt. Bassa, inquit, Budensis superioribus diebus Vaciae multa spectacula militibus exhibuit. Adducuntur interea ad eum 10 pedites Agrienses tunc capti, ex illis minimum natu pallo alligari iubet et leonem admittit, qui vinctum discerpat. Leo cum vincto ludens perones dumtaxat a pedibus avellit nec illum offendit et statim in rectorem suum, hominem Turcam, conversus, eum miseris modis dilaniat. Begi, hoc spectaculo commoti, supplices Bassae fiunt vincti causa, et ei parcat orant, cui fera pepercit. Annuit Bassa et vinctum libertate donat. Huius rei spectatores fuerunt nostri coloni, qui et Turcis et nobis tributa pendunt. Haec Purkircherus. Quam historiam, quod admirabilis sit, tibi communicatam esse volui. Bene vale, vir clarissime, et amicos saluta...

## 19. CAROLUS CLUSIUS, VIENNAE 9. IULII 1576, IOACHIMO CAMERARIO FILIO, NORIMBERGAM

Salutem plurimam. Nuper tibi significavi, clarissime Camerari, ad me perlatam esse cistam, qua inclusi sunt globi ad nostrum Purkircherum, verum procuratorem Hen nihil de precio potuisse iudicare. Ignorabat etiam is vecturae precium, quod tamen postea per famulum mihi significavit. Ea

omnia Purkirchero sunt a me perscripta. Existimo illum brevi curaturum, ut cista ad se perferatur et vecturae precium missurum. Quid globi constiterint, nisi tu significes, nihil statui poterit.

## 20. CAROLUS CLUSIUS, VIENNAE 23. IULII 1576, IOACHIMO CAMERARIO FILIO, NORIMBERGAM

Salutem plurimam dat. Heri literas a nostro domino Purkirchero accepi, quibus significavit perlatos esse ad se globos salvos. Iussit te officiose salutarem et eius verbis pollicerer omne studium et operam pro labore, quem eius causa in globis illis transmittendis subiisti, daturumque operam, ut gratiam aliquam referre possit. Accipiet item brevi mercator eo scribente precium globorum et sumtus vecturae. ...

## 21. CAROLUS CLUSIUS, VIENNAE 14. AUGUSTI 1576, IOACHIMO CAMERARIO FILIO, NORIMBERGAM

Quandoquidem dominus Purkircherus certior factus est de globorum precio, miror illud a me requisivisse. De vectura iamdudum illum monui, sed nihil de his, cum ad me scribit. Vellem tamen Mercatori pecuniae mitterentur. Existimabit per me stare, quo minus accipiat, quod cistam ad me receperim. ...

## 22. CAROLUS CLUSIUS, VIENNAE 4. SEPTEMBRIS 1576, IOACHIMO CAMERARIO FILIO, NORIMBERGAM

... Iam tuae mihi redduntur a clarissimo viro domino Sambuco. Iam diu Purkirchero precium vecturae scripsi et ille ante aliquot septimanas significavit et illud et globorum etiam precium brevi missurum. Nihil ille nunc mittit, nec quidem scribit. Pestem apud eos graviter grassari audio, nescio, an ea sit causa. ...

## 23. CAROLUS CLUSIUS, ⟨VIENNAE⟩ 25. SEPTEMBRIS 1576, IOACHIMO CAMERARIO FILIO, NORIMBERGAM

... Purkircherus sane negligentior est in respondendo, iam aliquot ad eum dedi literas, in quibus illum et de globorum precio et de vectura commonefeci, at ille ad ea nihil. Phaseolos ab eo petam cras aut perendie et eum monebo, ut tibi respondeat. Miserat ille superiore anno aliquot Phaseolos suos latiores et versicolores, quorum partem illustrissimo principi Wilhelmo Landgravio misi. ...

## 24. CAROLUS CLUSIUS, VIENNAE 1. OCTOBRIS 1576, IOACHIMO CAMERARIO FILIO, NORIMBERGAM

... Purkircherum denuo commonefeci, ut tibi respondeat, et eius versicolores Phaseolos etiam petii cum tuo, tum meo nomine. Urgendus est, alioqui in respondendo negligentior, tametsi plerumque alios negligentia soleat insimulare. Spero tandem eum responsurum et pecunias missurum pro globorum et vecturae ipsorum precio.

## 25. CAROLUS CLUSIUS, VIENNAE 6. OCTOBRIS 1576, IOACHIMO CAMERARIO FILIO, NORIMBERGAM

... Utinam non minorem praestare potuissem in extorquenda pecunia a domino Purkirchero, qui ad plurimas, quas eius rei causa scripsi, nihil respondet. Hodie denuo scripsi. Pudet me profecto hominis. Vellem Mercator globos abs se non dimisisset, quin prius pecunias acciperet. Verum ille statim ex navi ad me traduci iussit et sperabat, ut arbitror, a me pecunias accepturum. ...

## 26. CAROLUS CLUSIUS, VIENNAE 8. OCTOBRIS 1576, IOACHIMO CAMERARIO FILIO, NORIMBERGAM

Denuo Purkirchero scripsi hodie et de globorum vecturaeque precio commonefeci. ...

## 27. CAROLUS CLUSIUS, VIENNAE 16. OCTOBRIS 1576, IOACHIMO CAMERARIO FILIO, NORIMBERGAM

... Aliquoties dominum Purkircherum de 20 florenis commonefeci, sed ille ad eas nihil et plerumque aliud agere videtur. Tandem die Iovis proxime praeterito misit 4 florenos et 20 kreuzeros pro vectura eorum globorum. Cum tamen eum subinde monuissem de 4 florenis et 40 kreuzeris sive 4 dalleris: itaque Mercatori eas pecunias postridie tradidi et 20 kreuzeros de meo addidi, ut illi satisfieret; puduit enim semper plurimum istius morae. Mitto tibi eius literas, ut videas, quid responderit ad plerasque, et multa nihil ad rem. Respondi ei postridie et denuo commonefeci, ut 20 florenos mittat, quos pro globorum precio exposuisti; me facile viam inventurum, qua fideliter tibi reddantur, sive per procuratorem Hen, sive per alium. (Heri denuo scripsi, tametsi scribat se in vindemiis occupatum. Sed quando toto trimestri occupatus fuit in colligendis Germanicis nummis ad 4 florenorum summam explendam, quantum existimas temporis illi opus esse ad 20 florenos colligendos? Puto te et fasciculum seminum accepisse Domino Schrötero inscriptum, quem tibi misi, et alium deinde pro te, quem per amicum mercatorem curavi. Sabdarifae plantae a pruinis istis corruptae sunt et Phaseoli Purkircheriani planta una. Illum denuo commonefeci de utriusque seminibus et tibi et mihi mittendis: futura enim gratissima ...

## 28. CAROLUS CLUSIUS, VIENNAE 9. NOVEMBRIS 1576, IOACHIMO CAMERARIO FILIO, NORIMBERGAM

... Domini Purkircheri procrastinationem satis mirari non possum. Bis enim ad eum de ea re scripsi, post postremas ad te meas. Ille nihil respondet. Et eo magis negotium ursi, quod dominus Nicasius scripserit pestem graviter illic saevire. Scribam denuo ante meum hinc discessum et scribam ex literarum tuarum ordine. Difficilis enim mihi est nimia ista mora, quanto magis tibi esse debet! ...

## 29. CAROLUS CLUSIUS, VIENNAE 20. NOVEMBRIS 1576, IOACHIMO CAMERARIO FILIO, NORIMBERGAM

Salutem dat. Superiore hebdomada ad te scripseram, clarissime domine Camerari, literas a domino Purkirchero me accepisse, quibus et aliae ad te fuerunt additae cum 12 aureis, hoc est 10 simplicibus, uno duplici, sed ii

omnes fere Salisburgenses sunt praeter duos aut tres Carinthiacos. Duplex etiam 15 aut 16 granis iusto pondere levior. Eas literas denuo recepi, quod nullus tabellarius esset. Scripsi Purkirchero, alios duos aureos mittat pro simplici et 65 cruciferos in moneta pro tertio etiam leviore; nam ex 12 aureis 40 cruciferi illi essent remittendi, cum 12 aurei florenos viginti et unum constituant. Tibi autem 20 mittendi sint, mihi vero 20 duntaxat cruciferi cedant. Eius responsum accipio. Interea significabis, qua ratione istos aureos commode ad te curare possim. Libenter enim tibi eos incorruptos et in specie sisterem. Scripsit idem Purkircherus vasculum vini se libenter tibi missurum, si sciret, qua ratione incorruptum ad vos vehi posset. Respondi me eam invenisse, mittat, quandocunque volet. Nam Iodocus Craius, qui Reineri privignam uxorem habet, pollicitus est suam operam. Solet enim singulis annis selectioris vini vasculum mittere. Purkircheri vasculum suis adiunget. Expectandum autem erit, donec Danubius gelu sit concretus, quoniam aurigae, qui merces huc advehunt Noriberga, solent viliore precio locare suas operas, cum alioqui vacuis redeundum esset domum. Simulatque ergo dominus Purkircherus vasculum miserit, in Craii cellam perferri curabo, ut cum suis mittat. ...

## 30. CAROLUS CLUSIUS, VIENNAE 4. DECEMBRIS 1576, IOACHIMO CAMERARIO FILIO, NORIMBERGAM

45 Cf. Ov. met. 8, 402 (madefacta est terra cruore).
51 Cf. Ov. met. 4, 104 (laniavit amictus).
55 Cf. Ov. met. 15, 322 (sitim de fonte levavit).

58 Cf. Ov. fast. 4, 490, 764 (vigiles conticuere canes).

60 Cf. Ov. met. 8, 404 (valida quatiens venabula dextra).

66 Cf. Ov. met. 8, 359 (vulnificus sus).

70 Cf. Ov. met. 8, 344 (et obliquo... dissipat ictu).

71 Cf. Ov. met. 8, 339 (fertur ut excussis elisi nubibus ignes).

72 Cf. Ov. fast. 6, 201 (duellum).

75 Cf. Ov. met. 5, 416; Verg. ecl. 1, 23; georg. 4, 176 (parva componere magnis).

76 Cf. Ov. met. 7, 336 (spes inanes).

84 Cf. Ov. met. 4, 108 (una duos, inquit, nox perdet amantes).

92 Cf. Ov. met. 8, 367 (insiluit ramis).

98 Cf. Verg. Aen. 6, 535 (roseis Aurora quadrigis).

99 Cf. Verg. georg. 1, 447 (Tithoni croceum linquens Aurora cubile).

105 Cf. Verg. Aen. 2, 774. 3, 468 (vox faucibus haesit).

106 Cf. Ov. met. 4, 110 (ego te, miseranda, peremi).

107 Cf. Ov. met. 4, 111 (qui iussi nocte venires).

110 Cf. Ov. met. 4, 112—113 (nostrum divellite corpus et scelerata fero consumite viscera morsu).

112 Cf. Ov. met. 4, 115—116 (velamina Thisbes tollit).

113 Cf. Ov. met. 4, 117 (dedit oscula vesti).

115 Cf. Ov. met. 13, 392 (in pectus... letalem condidit ensem).

117 Cf. Ov. met. 4, 121 (cruor emicat alte).

122 Cf. Ov. met. 4, 164 (Vota tamen tetigere deos).

127 Cf. Ov. met. 1, 550 (in ramos bracchia crescunt).

130 Cf. Ov. met. 4, 128—129 (metu nondum posito... illa redit).

132 Cf. Ov. met. 4, 130 (quantaque vitarit, narrare pericula gestit).

141 Cf. Ov. met. 4, 142 (quis te mihi casus ademit).

143 Cf. Ov. met. 4, 143. 144 (tua te carissima Thisbe nominat).

144 Cf. Ov. met. 4, 145—146 (ad nomen Thisbes oculos... erexit).

151 Cf. Ov. fast. 4, 642; amor. 3, 10, 34 (irrita vota).

152 Cf. Ov. met. 8, 818 (geminis amplectitur ulnis); 11, 63 (cupidisque amplectitur ulnis).

155 Cf. Catul. 3, 18 (turgiduli ocelli).

158 Cf. Ov. met. 4, 164 (vota tamen tetigere deos).

167 Cf. Ov. met. 1, 2 (nam vos mutastis et illas).

171 Cf. Verg. georg. 4, 425 (Sirius Indos ardebat).

177 Cf. Verg. ecl. 10, 26 (Pan, deus Arcadiae).

180 Cf. Verg. Aen. 7, 592 (nutu Iunonis eunt res).

## XIII.

tit. Antonius Verantius (Verancsics/Vrančić; 1504—1573) historiarum scriptor, archiepiscopus Strigoniensis.

1 Cf. Verg. Aen. 3, 313 (lacrimasque effudit).

9—10 N. Olahus, archiepiscopus Strigoniensis anno 1568 vitam cum morte commutavit.

10 Cf. Verg. ecl. 3, 102 (vix ossibus haerent).

12 Cf. Verg. Aen. 10, 560 (pisces... volnera lambent).

13 Cf. Verg. Aen. 3, 137—139 (tabida lues).

14 Cf. Verg. georg. 3, 469 (dira per incautum serpunt contagia vulgus).

15 Cf. Verg. ecl. 3, 80.

19 Cf. Verg. ecl. 3, 5 (Hic alienus ovis custos bis mulget in hora).

31 Antonius Verantius, archiepiscopus Strigoniensis ab anno 1569 usque ad annum 1573.

32 Cf. Ov. epist. 9, 141 (letifero veneno).

47 Ab anno 1553 usque ad annum 1569 Verantius episcopus Agriensis erat.

48 Regiones quaedam Hungariae in dextra Tibisci ripa sitae ab episcopo Agriensi administrabantur.

49 Cf. Verg. ecl. 2, 33 (Pan curas ovis oviumque magistros).

50 A. Verantius Ioannis regis et reginae Isabellae partibus favebat et ab Ioanne rege saepe ad varios reges legatus profectus est.

51 Anno 1530 ad Sigismundum, Poloniae regem, legatus profectus est.

52 Duobus annis post Venetos ac Romam adiit.

53 Anno 1534 ad Franciscum I., Galliae regem legatus missus est. — Anno 1535 ad Henricum VII., Angliae regem, legatus profectus est.

54 Cf. Odys. 1, 3.

55—56 Ferdinandus 26. die mensis Iulii anno 1564 de vita decessit.

55 Cf. Verg. Aen. 1, 388 (auras vitales).

56 Cf. Lucr. 4, 967. 5, 1227 (induperator).

57 Anno 1545 Verantius partes Isabellae reginae reliquit, in Dalmatiam et in Italiam abiit, postea vero Ferdinandi partibus se adiunxit. Ferdinandus eum primum Budam, deinde Constantinopolim pacis petendae causa misit.

59 Cf. Verg. Aen. 7, 339. 12, 822 (componere pacem).

60 Ferdinando mortuo Turci pacem ruperunt, bellum Maximiliano intulerunt multaque oppida ceperunt. Qua de causa Maximilianus anno 1567 Constantinopolim Verantium legatum, qui pacem peteret, misit.

63 *altera aestas,* anno 1568.

65 Aestate anni 1568 Constantinopoli rediit, quo anno senex 64 annorum erat.

68 Cf. Verg. Aen. 1, 609; ecl. 5, 78 (semper honos nomenque tuum laudesque manebunt).

72—73 Maximilianus.

76 Vide notas 57 et 60.

79 Cf. Verg. Aen. 11, 356 (qui pacem hanc aeterno foedere iungas).

82 Cf. Verg. georg. 4, 168 (ignavom fucos pecus a praesepibus arcent).

89 Georgius Blandrata, quem iam pridem Arianorum doctrina se conquinavisse constabat, archiater Ioannis Sigismundi regis erat.

93 Chryseus, (Körös), Marisus (Maros), Zamosusque (Szamos) fluvii in finibus Transylvaniae fluentes.

96 Cf. Verg. Aen. 12, 691 (sanguine terra madet).

100 Cf. Verg. Aen. 3, 620 (di, talem terris avertite pestem).

107 Cf. Verg. georg. 4, 277 (tonsis in valibus).

109 Cf. Verg. ecl. 1, 59 (ante leves ergo pascentur in aequore cervi).

110 Cf. Verg. ecl. 1, 60 (ante freta destituent nudos in litore pisces).

111 Cf. Verg. ecl. 8, 4 (et mutata suos requierunt flumina cursus).

113 Cf. Verg. ecl. 1, 63 (quam nostro illius labatur pectore voltus).

117 Cf. Verg. ecl. 2, 66 (aratra suspensa).

119 Cf. Verg. Aen. 11, 913 (roseus... Phoebus); 6, 535 (roseis Aurora quadrigis).

120 Cf. Verg. georg. 3, 1 (Te quoque... canemus, pastor).

122 Cf. Verg. ecl. 5, 51 (Daphnimque tuum tollemus ad astra).

## AD PARTEM II. (EPISTULAE)

### I.

1 *mi Camerari* — Ioachimus Camerarius, filius Ioachimi Camerarii, professoris in universitate Lipsiensi, natus est Norimbergae 6. Novembris 1534. Studia universitaria navabat Wittenbergae, Lipsiae, Vratislaviae, Patavii et Bononiae, ubi anno 1562 laurea in arte medica ornatus est. Post reditum in patriam Norimbergae arte medica

fungebatur, sed praecipue herbis colendis deditissimus erat, de qua re epistulae Purkircheri et Clusii testantur. Verisimile est eum Purkircherum iam Wittenbergae cognovisse, certum est ei cum Purkirchero Patavii consuetudinem fuisse neque ignoramus libros eius post discessum Patavio a Purkirchero asservatos esse. Reversus ex Italia visitavit non solum Viennam, sed etiam Posonium, Purkircheri patriam. Mortuus est Camerarius Norimbergae 11. Octobris 1598. — *Augusta,* Augsburg.

3 *de ... itinere* — ex Italia in Germaniam.

5 *De morte Bassiani* — Bassianus, Landus, medicus, professor anatomiae in universitate Patavina, 24. Octobris 1562 Patavii interfectus est.

6 *Paulus Wellerus* — Norimbergensis, 17. Iunii 1561 inscriptus. Post reditum in patria artem medicam agebat.

11 *Fallopium* — Gabriel, Fallopius, medicus, ab anno 1551 usque ad mortem professor chirurgiae, anatomiae ac simplicium. Natus est Modenae anno 1523. Mortuus est Patavii 9. Octobris 1562. Una cum Vesalio et Eustachio clarissimus reformator artis medicae erat. Anno 1556 Patavii observationes anatomicas demonstravit, quas 1561 publici iuris fecit.

12 *Robortellum* — Franciscus Robortellus, 9. Septembris 1516. Udinae natus, professor artis rhetoricae in variis universitatibus Italiae. Scripsit praecipue librum Aristotelis de arte poetica explicationes (Florentiae 1548). Mortuus est Bononiae 18. Martii 1567. — *Poeta* — Verg. Aen. 10, 501.

14 *al Santo* — ad templum Sancti Antonii.

17 *Melchior* — Guilandinus, medicus, Regiomonte ortus, Asiam Africamque peragravit. De captivitate in Africa redemit eum Fallopius, qui eum Patavium adduxit, ubi ab anno 1561 horto medico praeerat. Mortuus est Patavii 25. Decembris 1589 (aut 1587).

21 *Johannes episcopus Chianadiensis* — Ioannes Kolosváry (cca. 1517—†Tridenti 14. Novembris 1562), monachus ordini S. Francisci ascriptus, abbas Colosmonostoriensis, mox episcopus Chanadiensis. Una cum Andrea Duditio orator nationis Hungaricae Tridentum missus est. Tridenti 6. Aprilis 1562. mandata praelatorum et cleri Hungariae patribus collectis exposuit. — *Duditius* — Andreas Duditius (Dudith) Sbardellatus natus est Budae anno 1533. Studia in Italia navabat. Quibus Patavii confectis mox episcopus Tiniensis creatus a Ferdinando Tridentum ut orator nationis Hungaricae missus est. Tridenti quinque orationes pronuntiavit. Oratione autem, quam pro calice laicis concedendo habuit, et sententiis, quas de libertate coniugii clericorum declarabat, indignatione nonnullos legatos affecit. Mox episcopus Quinqueecclesiensis creatus, secretarius et consiliarius supremusque capellanus imperatoris factus est. Anno 1566 Catharinam, sororem Maximiliani imperatoris, Poloniae reginam, domum reduxit, sed amore puellae in gynaeceo reginae inflammatus eam uxorem duxit et a religione catholica descivit. Ultimos vitae annos Vratislaviae degebat, ubi anno 1589 de vita decessit.

22 *cardinalis Lotaringicus* — Carolus a Lotharingia, Gallus, primas et archiepiscopus Rhemensis. Mortuus est Avenione 26. Decembris 1574.

24 *Hispani* — Hispanorum legati male iudicabant orationes Duditii, qui in oratione nonis Septembribus habita in eos invectus est.

25 *Alba* — veri simile non est Albam urbem Hispaniae esse, quae in ripa fluvii Tormes flumini Duero influentis sita sit. Probabilius est eam eandem esse ac Blancam in provincia Murcia sitam.

26 *Johannes Mendoza* — ignotus. — *Baiazetus* — Suleimani et Roxolanae filius. Lite cum fratre Selimo amissa in Persiam fugit, ubi a Suleimani legatis anno 1561 strangulatus est (Hammer, 267, 274; Katona, XXIII, 584).

27 *a pontifice* — Pio IV. —

28 *Dionysii* — Dionysius Puhlerus — Iglaviensis, Moravus, 19. Decembris 1561 inscriptus, Purkircheri amicus, qui occasione decorationis Purkircheri laurea in arte

medica oblata carmen in Lusus poeticos ad Georgium Purkircher scripsit. Mense Iulio 1562 fuit procurator cum Georgio Purkirchero.

29 *domino patri* — Ioachimo Camerario, v. Ep. XII. ann. tit.

30 *Peucerum* — Caspar Peucer Budissini 6. Ianuarii 1525 natus est. Studia Wittenbergae navabat. Anno 1550 Melanchthonis filiam uxorem duxit, anno 1554 professor philosophiae et mathematicae nominatus est denique ab anno 1560 professor medicinae. Mortuus est in oppido Dessau 25. Septembris 1602. Clarum se praestitit medicum, theologum et poetam. Quia tamen Calvini doctrinae favebat, Kalendis Aprilibus anno 1574 incarceratus est usque ad annum 1586, cum pro merito Agnetis Hedvigae ab Anhalt liberatus est. — *Ezromum* — Rüdinger Ezrom, Bambergae 19. Maii 1523 natus, studia Lipsiae navabat, ubi dignitatem magistri assecutus est. Mox filiam Ioachimi Camerarii nupsit, rector gymnasii in oppido Cygneae(Zwickau) electus, deinde professor philosophiae et linguae Graecae in universitate Wittenbergensi nominatus est. Postea in Moraviam transmigravit ad fratres Bohemos et aliquot annos docebat in gymnasio in oppido Ivančice sito. Scripsit Paraphrasin psalmorum, Hypothesin astronomicarum positionum, Apologiam Socratis Platonicam cum versione Latina et scholiis et alia. Mortuus est Altorfii 2. Decembris 1591.

31 *Hubertum* — Hubertus Languetus (Languet) in oppido Viteaux anno 1518 natus est. Studia primum in patria deinde in Italia navabat et anno 1547 in universitate Patavina doctor iuris pronuntiatus est. Locis Communibus Melanchthonis perlectis doctrinae protestantium adhaesit utque prope Melanchthonem vivere posset, eodem anno Wittenbergam venit. Postea rediit in patriam et coram Carolo IX., rege Gallorum, rem Hugenotarum defendebat, sed post noctem Bartholomaei Galliam reliquit Viennamque profectus est, quo servitio secretarii electoris Augusti Saxonum fungeretur ab anno 1573 usque ad annum 1577, quo anno in servitium principis Guilelmi Auranii intravit et Antverpiam abiit, ubi anno 1581 vitam cum morte commutavit. Scripsit librum Contra tyrannos sive de principis in populum populique in principem legitima potestate (Basileae 1579), in quo ius populi contra regem defendebat.

34 *crusara* — trivium, inter Basilicam, viam Sancti Antonii hodiernamque viam Rudenam.

II.

1 *frater Carissime* — Ioachimus Camerarius filius.

3 *binas meas* — prior missa est per Wellerum, posterior eadem est ac prima Purkircheri epistula.

8 De Fallopii morte ac Bassiani caede v. Ep. I. 5—16.

17 *Franciscus Lendinara* — medicus, professor anatomiae in universitate Patavina.

18 *Bellocatus* — Ludovicus Bellocatus, medicus, professor anatomiae in universitate Patavina. Natus est Patavii anno 1501, mortuus est ibidem anno 1575. Scripsit lectiones medicopracticas et consultationes aliquot pro variis affectibus, quae post mortem auctoris editae erant.

19 *Nicolaus Curtius* — medicus, professor in universitate Patavina. Natus est Bresciae. 26 annos docebat Patavii, sed metu pestis perterritus Bresciam abiit, ubi anno 1576 vitam cum morte commutavit. Scripsit librum de medicamentis lenientibus, praeparantibus et purgantibus. — *Paternus Pedemontanus* — medicus, quem dominium Venetum elegit, ut Bassiano mortuo succederet.

20 *quadragesima* — sexta dominica ante Pascha.

21 *lectionem simplicium* — sc. lectionem simplicium medicamentorum.

22 *Helena* — primum Menelai, deinde Paridis, post Deiphobi uxor.

23 *Trincavella* — Victor Trincavella, medicus, professor in universitate Patavina. Praelegebat de affectibus uteri et de morbo gallico. Mortuus est Venetiis 20. Augusti 1563.

25 *Frankanzani* — Antonius Fracanzanus (Fracanzano, †1569) medicus, professor in universitate Patavina aeque ac Bononiensi. Praelegebat de febribus, de morbo gallico et cauteriis.

26—27 *satis floret* — docebant illic Vesalius et Cardanus. — *Cardanus* — Hieronymus Cardanus (1501—1576), celeberrimus professor in universitate Patavina, ubi interpretabatur aphorismos Hippocratis.

30 *Minor ab Arnd* — Germanus, fortasse iurisprudentiae studiosus.

30—31 *a Lied* — Germanus, fortasse iurisprudentiae studiosus.

34—35 *Paulus Hessus* — Vratislavensis, 2. Novembris 1556 inscriptus, medicus, procurator anno 1556 electus.

40 *Bartholomaeus Haller* — B. Haller von Hallerstain, Bartphensis, 23. Martii 1563 in universitate Patavina inscriptus, iurisconsultus, v. Veress, Matricula, p. 68.

41 *De concilio* — sc. Tridentino.

42 *supra calicem* — v. Andreas Duditius, Sententia de calice laicis permittendo, ed. Nicasius Ellebodius Casletanus, Patavii apud Gr. Perchacinum, 1563.

43 *Bavarus* — Augustinus Paungartner, Monacensis, orator Alberti, ducis Bavariae.

44 *suam orationem* — sc. De calice laicis permittendo.

50—51 *propter imperatorem* — Ferdinandum I.

52—53 *de victoria Gallica* — in pugna apud Wassy Kalendis Martiis 1562 commissa.

53 *capto principe Condensi* — Ludovicus princeps Condensis, filius Caroli Borboni, natus est anno 1530. Anno 1552 particeps erat pugnae Mettarum defendendarum causa commissae, anno 1558 in proelio oppidi Calais expugnandi causa commisso se fortissimum praestitit, postea exercitui peditum in Piemonto praeerat. Calvini doctrinae adhaesit et exercitui Hugenotarum praeerat, sed in pugna apud Jarnack commissa captus et interfectus est.

55 *Multum enim Germani sanguinis tunc est profusum* — Germani Hugenotas adiuvabant.

57—58 *si conestablium captum liberum dimittent* — conestablius, primum comes stabuli, postea praefectus provinciae et exercitus absente rege. Quo munere in Gallia ab anno 1537 functus est Anna Montmorency. Natus est anno 1493, particeps erat proeliorum a Gallorum rege Francisco gestorum, captus erat in pugna apud Paviam commissa, communicabat pacem Matritensem (1526), multum valebat apud Galliae regem, praeerat exercitui regiones meridionales defendenti contra Carolum V. Anno 1537 nominatus est connestabilis. Doctrinae catholicae deditissimus Henricum II. contra protestantes adhortabatur. In pugna apud Sanctum Quintinum (1557) commissa victus est. Carolo IX. regnante in aulam regiam vocatus est et fideliter Guisios sequebatur. In pugna apud Dreux commissa (1562) ab Hugenotis captus est, moxque pacem Amboisiensem (1563) studebat. Postea in pugna apud Sanctum Dionysium commissa (1567) vulneratus est moxque de vita decessit.

58 *Kärnerus* — incertum est, utrum idem sit ac Kernerus, qui anno 1553 in universitate Vittenbergensi inscriptus sit, an Kerner Ilaviensis, Prutenus, qui 20. Novembris 1560 in universitate Wittenbergensi inscriptus sit.

59 *reginam* — Catharina de Medicis (1519—1589), Laurentii II. de Medicis filia; anno 1533 Gallorum regis filio, futuro regi Henrico II. (1547—1559) nupsit, cui decem liberos peperit. Francisco II. breviter regnante Gallorum regnum a Guisiis regebatur, quo tempore lites religionis causa ortae sunt, praesertim cum multi Hugenotae anno 1562 apud Wassy obtruncati essent. Mox orta sunt bella civilia religionis gratia et in pugna apud Dreux commissa (1563) Hugenotae victi sunt eorumque dux princeps Condensis captus et ad mortem condemnatus est. Catharina, quae Carolo filio adolescente regnum dirigebat, lites religionis causa motas lenire studebat moxque pacem Amboisiensem (1563) liberam confessioni adhaesionem declarantem proclamavit auctoritatemque Casparis de Coligny, Gallorum admiralii, in suum filium, regem Carolum IX., valere permisit. Post duos annos Baionnae dux Albensis

ei autem persuasit, ut Hugenotas persequeretur reginaque consensit, ut noctis Bartholomaei scelus conficeretur (24. Augusti 1572).

60 *admiralium* — Caspar II. de Coligny, anno 1519 natus, anno 1552 admiralius Gallorum nominatus est. Mox Gallorum coloniarum deductionem in Brasiliam (1553) et in Floridam (1562) dirigebat. Quamquam in oppidi Sancti Quintini defensione se fortissimum praestitit, victus et captus est. In captivitate usque ad mensem Aprilem anni 1559 retentus est. Qua in captivitate Calvini doctrinae adhaesit et post reditum in patriam cum principe Condensi Hugenotis praefuit. Victus in pugna apud Dreux commissa in gratiam aulae rediit, sed Francisco de Guisia interfecto arma denuo cepit. Victus in proeliis apud Sanctum Dionysium et apud Jarnack commissis, victor abiit ex pugna apud Arnay—le Duc commissa (1569). Particeps erat pacis in Sancto Germano faciendae (mense Iulio 1570) posteaque auctoritatem suam in regem Carolum praebebat, sed nocte Bartholomaei a Germano Besnio, sectatore Henrici de Guisia, interfectus est.

62 *Iste* — admiralius, Caspar II. de Coligny. — *Aurelia* — Orléans.

63 *Boscum de Vicena* — Bois de Vincennes.

65 *Ernandum, filium Florentini* — Florentinus idem est ac Cosimus de Medicis (1519—1574), quem Pius V. titulo archiducis anno 1569 ornavit. Filius eius Franciscus (1541—1587) ab anno 1563 rem publicam Florentinam regebat. Ei successit Ferdinandus (Ernandus), frater consobrinus (1549—1609), quem Pius IV. cardinalem creavit. — *Fridericus* — frater cardinalis Mantuani, Herculis Gonzaga. Errat Purkircher, nam Fredericus, frater Mantuani, anno 1540 de vita decessit. Post Herculis mortem Mantua ab eius fratre Ferdinando (Ferrante) Gonzaga gubernabatur, qui a Carolo V. aeque ac ab eius filio Philippo magno favore afficiebatur.

69 *Boromaeus* — Carolus Borromaeus (1538—1584), sororis Pii IV. filius, cardinalis, archiepiscopus Mediolanensis. — *legatus imperatoris* — Prosper ab Arco (Prospero d'Arco, 1522—1572).

74 *Iordano* — ignotus.

76 *Oedipi tragoediam* — v. Sophoclis tragoediam Oedipus rex.

78—79 *Conradus Freschelmoser* — Memmingensis, 7. Aprilis anni 1560 inscriptus, anno 1561 procurator electus

79 *dominum patrem* — Ioachimum Camerarium V. Ep. XII. ann. tit.

III.

1 *Papenberga* — Bamberg.

9 *Paternus* — Bernardinus Paternus. — *Trincavelius* — Victor Trincavella.

15 *Melchior* — M. Guilandinus.

17 *Bernhardinus Trevisanus* — medicus, professor in universitate Patavina.

19 *Vesalius* — Andreas, medicus, professor anatomiae clarissimus in universitate Bononiensi, mortuus est 15. Octobris 1564.

20 *Caesar* — medicus, professor chirurgiae in universitate Bononiensi.

24 *Mantua* — cardinalis, v. Hercules Gonzaga, Ep. II. 65. ann.

25 *hydra lernaea* — cf. Cicero, De oratore, II. 17, 71, Horatius, Carm. IV. 4, 61.

27 *imperator noster* — Ferdinandus I.

30 *Nicolaus* — Nicolaus Zólyomi, secretarius episcopi Quinqueecclesiensis, Georgii Draskovitii. Mortuus est 6. Ianuarii 1563. aet. XXIII. Tridenti et in Ecclesia S. Marci sepultus est.

33 *Episcopus Chianadiensis* — v. Ioannes Kolosvary, Ep. I. 21. ann.

35 *Flaminio* — Ioannes Flaminius, Italus, Imolae natus. Mortuus est Bononiae anno 1536. Scripsit libros, qui in Indicem librorum prohibitorum propositi erant. Quos libros Ioachimus Camerarius Norimbergae anno 1571 edendos curavit.

36 *de Erasmi libris* — prohibiti erant: Colloquia, Moria, Lingua, Christiani matrimonii institutio, De interdicto esu carnium, Paraphrasis in Matthaeum.

39 V. Oratio de calice, Ep. II. 42. ann.

41 Duditius donatus est episcopatu Chanadiensi, mox Quinqueecclesiensi (v. Costil, p. 105, 117 sq.)

45 *Oeniponti* — Innsbruck.

46 *Ferdinando* — Ferdinandus, filius Ferdinandi I. imperatoris, archidux, comes Tiroliensis.

46—47 *orator Ferrariensis* — ignotus, orator Alphonsi II. ducis Ferrariae, qui Barbaram, Ferdinandi imperatoris filiam, nupsit.

48 *Dux Guisia* — Franciscus, Claudii I. de Guisia et Antoniae de Borbon filius, multis in bellis se fortem praestitit. Fuit consiliarius Francisci II., Gallorum regis, una cum cardinale Lotharingico. Anno 1563 urbem Aureliam (Orléans) obsessit, sed illic a quodam protestante necatus est.

50 *Sciatiglione* — Châtillon, sed non liquet, utrum Purkircher Admiralium, qui Pallavicinio teste ipse sicarium ad conficiendum scelus induxerit, an fratrem eius Odetem Coligny, cardinalem de Châtillon (1517—1571) censuerit.

59 *Orator Bavaricus* — v. Augustinus Paungartner, Ep. II. 42. ann.

63 *Erasmi Flosseri* — Erasmus Flosserus Norimbergensis, 18. Februarii 1561 inscriptus.

72—73 *patrem tuum* — v. Ioachimus Camerarius, Ep. XII. ann. tit.

75 *Victorinus* — V. Strigelius (Strigel) Kauffbeurni 26. Decembris 1524 natus, studia theologica Friburgi et Wittenbergae navabat Wittenbergaeque titulum magistri assecutus est. Studiis confectis primum Marburgi, deinde Erfurti concionator erat, postea vero fuit theologiae professor Ienae, Lipsiae et Heidelbergae, ubi 26. Iunii 1569 vitam cum morte commutavit.

77 *Peurlstainero* — Peurlsteiner, Germanus, fortasse iurisconsultus.

82 *Arcae tuae* — cf. Ep. VII. 4.

## IV.

3 *Semina* — v. Ep. II. 6. — *Peurlsteiner* — idem est ac Peurlstainer, Ep. III. 77.

6 *Melchior* — M. Guilandinus.

8—9 Cf. Ep. II. 48.

13 *Cicuta* — Aurelius Cicuta eques Italus. Scripsit librum De disciplina militari (Venetiis 1566).

14 *In Galliis ... res agitur* — belli religionis causa orti. — *Arsenale Parisiensium* — antequam Arsenale Parisiense anno 1566 constructum est, arma in Luvri spatiis conservabantur (Legrand, p. 23.).

18 *Germanus* — ignotus.

21 *Disputatio Galli et Hispani* — cardinalis Lotharingici et Petri Soto. De querelis inter Gallos et Hispanos v. Pallavicini, V, 42 sq., 51, 207. Episcopus Cadiciensis invectus est in Lotharingicum hisce verbis: Anathema, sia bruciato, e eretico (ibidem, p. 51.)

23 *Duditius orationem edi curavit* — v. Ep. II. 44.

24 *Imperator ... proposuit* — v. Katona, XXIII, 624—660, 804—830.

27 *festum Bachi* — mense Februario.

27—28 *parentem tuum* — v. Ioachimus Camerarius, pater, Ep. XII. ann. tit.

29 *Dionysius* — D. Puhlerus.

## V.

15–16 *in curia Capitanei* – anno 1563 capitaneus erat Hieronymus Soranzo.
23 *iter Romanum* – cf. Ep. VI. 4; VII. 2.
26 *Dodonaeus* – Rembertus Dodonaeus (1518–1585), medicus et botanicus, medicus personalis Maximiliani II. imperatoris, ab anno 1583 professor in universitate Leidensi.
28–29 *dominum parentem* – v. Ioachimum Camerarium patrem, Ep. XII. ann. tit.
29–30 *Duditii orationem* – v. Ep. II. 42.

## VI.

4 *De itinere ... Romano* – v. Ep. V. 23.
7 *a scholastico Ienensi* – Germano, fortasse iurisconsulto.
15 Duditius Tridento Oenipontum abiit 16. Iulii 1563.
19 *Nostri instant* – ut calix laicis concedatur. – *alii obstant* – praecipue Hispani.
21 *pro Cumerstadio* – incertum est, sitne unus fratrum Misnicensium Nicolaus aut Abraham, qui 4. Augusti 1555 in universitate Wittenbergensi inscripti sunt.
29–30 *sicut in Galliis, ubi nunc ... vivit* – sc. post pacem Amboisiensem inter Catharinam de Medicis et Hugenotas anno 1563 factam.
32 *et videas filios filiorum tuorum* – Iob, XLII, 16.
34 *Gerhardum* – nescio, utrum idem sit ac Gerhardus Falkenburgius an Gerhardus Bergensis, medicus et botanicus, qui Antverpiae vivebat et opus De herba panacea scripsit et edidit. Erat etiam tertius Gerhardus, Mercator Norimbergensis.

## VII.

2 De itinere Romano v. Ep. V. 23, Ep. VI. 4.
4 *frater tuus* – verisimile Philippus Camerarius. De arca v. Ep. III. 4.
5 *ad aglan* – obscurum.

## VIII.

20 Alexander ab Alexandris – iurisconsultus Neapolitanus, scripsit Dissertationes quatuor de rebus admirandis et opus Genialium dierum libri sex, Parisiis 1532 editum.
32–33 *sicca anima* – cf. Heracliti B 118.
38 *nostrum imperatorem* – Ferdinandum I.
38–39 *doctoris ... Bachi* – doctor Bartholomaeus Carrichter, cui Doctoris Bachi et Kraütel-doctoris nomen ioculare aulici dabant quique Ferdinando promisit se illum suis artibus ita brevi sanaturum esse, ut post 14 dies lectum relinquere ac post tres menses equitare posset.
54 *regem* – Philippum II. Filius Caroli V. et Isabellae Portogalensis Valladolido anno 1527 natus est, mortuus est anno 1598. – *Regina* – Elisabetha de Valois.
58 *Nuptias Ferrarienses* – nuptiae Alphonsi II. d'Este, cum Barbara, Ferdinandi imperatoris filia. Alphonsus, dux Ferrarae natus est 28. Novembris 1533. Post mortem patris sui anno 1559 dux Ferrarae factus est. Cum Lucretia de Medicis, quam uxorem duxit, anno 1561 mortua esset, post quattuor annos (1565) Barbaram, Ferdinandi imperatoris filiam, nupsit et anno sequente profectus est in Hungariam in castra Iaurinia, ut Maximiliano imperatori auxilium contra Turcas afferret. Quae expeditio sine gloria militari confecta est. 19. Septembris 1572 Barbara mortua est.

61 *frater Philippus* — Ph. Camerarius. Natus est Tubingae 16. Maii 1537. Studia navabat primum Lipsiae, deinde Tubingae, post Argentorati. Anno 1563 iter in Italiam ingressus est, sed anno 1565 Romae captus et in carcerem coniectus est. Anno 1569 Basileae doctor utriusque iuris renuntiatus est. Anno 1573 consiliarius Norimbergae electus denique in universitae Altorfii proconsiliarius creatus est. Scripsit librum, in quo suam captivitatem Romae descripsit. — *Sophianus* — Michael Sophianos (cca. 1530—1565) origine Chius, anno 1563 scripsit poema in librum Lusus poetici in honorem Georgii Purkircheri Patavii editum.

62 *Ad Ducem Sabaudiae,* — Emmanuel Philibert (1508—1580), dux Sabaudiae ab anno 1553, anno 1559 Margheritam, filiam Francisci I., Gallorum regis, uxorem duxit.

64 *Nosti aulae faciant* — ex epistula Camerarium anno 1563 non solum Posonii fuisse, sed etiam Viennam et ipsam aulam regiam visitavisse elucet.

## IX.

12 *Melchior Fendt* — (1486—1564), professor medicinae in universitate Wittenbergensi (v. Friedensburg, Walter, Geschichte der Universität Wittenberg, Halle 1917, S. 214—215 et passim).

## X.

tit. Zacharias Praetorius Mansfeldensis Hoyerswerdae 7. Octobris anni 1527 natus omnium poetarum Germanorum praestantissimus a Melanchthone appellatus est. Studiis confectis primum Foerstgeni, deinde Purschwitzii, post Malschwitzii denique Eislebeni munere concionatoris fungebatur. Plurima erant eius opera oratione soluta vel versibus composita. Scripsit Elegiam de coniugio clarissimi viri Domini Georgii Purkircheri artis medicae doctoris et pudicissimae virginis Sophiae Lerchenfelderianae, nobili ac patricio genere apud Posonienses editae. Mortuus est Zacharias Praetorius 11. Septembris anni 1583.

1 *Accepi literas Venetiis* — auctor epistulae ignotus est.

4 *orator imperatorius* — Prosper ab Arco.

9 De oppugnatione insulae Maltae, de eius defensione deque classe Hispanica Messinae sita v. Hammer, S. 304.

15—16 *In Galliis extinguuntur* — Pace inter Catharinam de Medicis et principem Condensem facta Galli religionis libertate uti potuerunt, mox autem principe Francisco Guisia interfecto proelia religionis causa denuo exorta sunt.

24 *in exequiis Ferdinandi* — mortuus est Ferdinandus 25. Iulii 1564, exsequiae autem 8. Augusti 1565 celebratae sunt.

## XI.

Epistula impressa est in: Der LXXIX. Psalm (v. Carm. XI. fol. A 1 b.)

tit. Veri simile est eum eundem esse ac Eckium Salm-Neuburg (†1574), qui praefectus Iaurinii, dux exercitui caesarei erat (Kneifel, 48.).

16 Saraceni, duce Saladino imperatore Aegyptiorum, anno 1187. Hierosolymam expugnaverunt.

## XII.

tit. Ioachimus Camerarius pater Bambergae 12. Aprilis 1500 natus est. Ab anno 1526 professor linguae Graecae Norimbergae, ab anno 1535 Tubingis, ab anno 1541 usque ad mortem 17. Aprilis 1574 Lipsiae erat.

2–3 *norunt me tamen filii tui* — Ioachimus. Philippus et Ludovicus. De Ioachimo vide Ep. I. ann. 1., de Philippo Ep. VIII. 61. Ludovicus Camerarius (1542–1582) amicitiam cum Purkirchero iunxit in Italia. Reversus in patriam Annabergae consedit ibique artem medicam exercebat.

5 *Martinus* — M. Moller, Posoniensis, sororis Purkircheri filius, 22. Aprilis 1570 inscriptus est in universitate Wittenbergensi. Postea Ladislao Bartholomaeide teste pastor Gorliczii in Lusatia factus est.

6 *Thobias* — Th. Lichtenberger, Posoniensis, sororis Purkircheri privignus, 22. Aprilis 1570 in universitate Wittenbergensi inscriptus est.

7 *Lipsia* — Leipzig.

10 *Crato* — Johann von Kraftheim Crato, Vratislaviae 20. Novembris 1519 natus, studia theologica Wittenbergae primum navabat, deinde artem medicam studebat Lipsiae et Patavii. Studiis confectis aliquot annos docebat Veronae, Augustae Vindelicorum et Vratislaviae. Anno 1560 Viennam venit et ab anno 1563 medicus Caesareus erat usque ad annum 1581, quo Vratislaviam abiit, ubi anno 1585 de vita decessit.

16 *Florentinus* — Cosimo de Medici.

17 *Papa* — Pius V.

18 *Imperatorio oratori* — Prosper ab Arco.

## XIII.

tit. Hugo Blotius, in oppido Delft anno 1533 natus, studia Parisiis, Romae, Argentorati et Lovanii navabat doctorque iuris utriusque renuntiatus est. Anno 1570 Viennam venit ibique societatem cum aulicis coniunxit, praecipue cum Ioanne Listhio, episcopo Iauriensi, qui munere cancellarii imperatoris fungebatur. Anno 1571 Patavium abiit, quo praeceptor Listhii filii filiorumque Lazari Schvendii fieret. Anno 1574 Viennam reversus professor artis rhetoricae in universitate Viennensi nominatus est moxque (1575) rector bibliothecae imperatoriae Viennensis creatus est. Familiariter utebatur non solum Busbecquio et Clusio, sed etiam Purkirchero, cuius epistulae ad Blotium scriptae Viennae asservantur. Anno 1578 Blotius opulentissimam viduam septuaginta duos annos natam uxorem duxit, post aliquot menses eam sepelivit moxque iuvenem puellam nupsit. Mortuus est 20. Ianuarii 1608.

2 *Iaurinum* — Győr, Raab. — *sors tua te Patavinum vocat* — ut praeceptor Schvendii filiorum Listhiique filii Patavii sit.

4 *ad dominum Sambucum* — de Iohanne Sambuco v. Carm. XII. tit. ann.

5 *Berzaevicaeo* — Martinus Berzeviczy, Hungarus, 21. die mensis Maii anni 1568 in universitate Patavina inscriptus, postea officio cancellarii regis Poloniae functus est.

6 *Ladislao Cubinio* — Ladislaus Cubinius, (Kubinyi) filius Christophori Cubinii senioris et Barbarae Pongrácz, annis 1568–72 studia navabat Patavii.

7 *Nicasius* — Nicasius Ellebodius Casletanus, Flander, philosophus, medicus et poeta. De eius iuventute non sumus satis superque eruditi. Veri simile est eum favore cardinalis Grenvelii Tyrnaviam ad Nicolaum Olahum pervenisse ibique professorem in schola capitulari fuisse. Primo Ianuario anni 1563 inscriptus est in universitate Patavina, ubi postea doctor artis medicae renuntiatus est. Patavii remansit usque ad annum 1571 studiis litterariis deditus. Reversus Posonium

medicinam exercebat munereque canonici apud Sanctum Martinum fungebatur. Mortuus est 4. Iunii 1577 peste correptus. Non ignoramus eum occasione decorationis Purkircheri laurea in arte medica oblata in collectionem poematum — Lusus poetici — carmen Latinum contribuisse. De poesi in Hungaria colenda optime meritus est Latina paraphrasi Aristotelis Poeticae, quam annis 1572/73 Posonii conscripsit.

8 *Apud Vaciensem episcopum* — Ioannem Újlaki.

9 *alumno* — Georgio Hoffmanno, qui tunc Patavii studia navabat.

14 *in festo Sanctorum Angelorum* — 29. die mensis Septembris.

## XIV.

Edidit Ábel, A bártfai Szent Egyed templom (v. Bibliographiam) p. 178.

tit. Bartholomaeus Purlamuz, notarius Bartphensis.

2 *socrus mea* — vidua Wolfgangi Lerchenfelderi, mater Sophiae, Purkircheri uxoris.

3 *David* — veri simile frater Sophiae, Purkircheri uxoris.

4 *epitheta Ravisii* — Johannes Ravisius author operum: Epistolae, Dialogi, Epitheta Latina. Mortuus est anno 1524.

## XV.

8 *Mortem patris Ioachimi* — Ioachimus Camerarius pater mortuus est 17. Aprilis 1574.

12 *Composita nunc dicitur nova pax* — Iam anno 1567 Maximilianus Verantium et Tiefenbachum legatos cum magna pecunia et donis Constantinopolim misit pacem petitum et mox pax octennis sancta est. Anno 1573 legati denuo missi sunt Constantinopolim et pax iisdem conditionibus composita est.

14—15 *Intrant in thalamos publica damna tuos* — Proverbialia dicteria versibus rhytmaticis. S. 1. 1566. XVII. 6. V. H. Walther: Proverbia sententiaeque Latinitatis medii aevi. II. Göttingen 1564. Nr. 12687.

15 *Habeo uxorem* — Sophiam, filiam Wolfgangi Lerchenfelderi, civis Posoniensis, qui tres liberos habuit: Davidem, Sophiam et Reginam. Testamentum Wolfgangi Lerchenfelderi 5. Maii 1557 scriptum in tabellario Posoniensi asservatur.

20 *Deus dedit et abstulit* — Iob I 21.

20—21 *De Ulyssis simplici* — Ulysses Aldrovandi, philosophus et medicus Bononiensis. Scripsit libros: De piscibus, De avibus, De animalibus exsanguibus, De animalibus insectis. Anno 1598 Lugduni Batavorum 26 fungorum genera descripsit. A Clusio saepe vir doctissimus appellatus est.

22 *Carpatus* — (Carpathes) mons in confinibus Moraviae et Slovaciae.

## XVI.

6 *Istrograno aut Strigonio* — Esztergom, sedes archiepiscopi primatis Hungariae ad Grani et Danubii confluentes sita.

14 *Mysnia* — Meissen.

17—18 *in urbe vestra* — Norimbergae.

XVII.

2 *ad Mercatorem* — Gerhard Mercator (1512—1594) cosmographus.

XVIII.

1 *Has inclusas* — litteras a Berzevicio missas, sicut e regesto concludi potest.
2 Nicasius Ellebodius Casletanus Vienna Posonium rediit.
3 *Utenhobium* — Carolus Utenhovius, origine Belga, poeta erat. Notum est eum a Sambuco anno 1560 in favorem Wolfii recommendatum (Gerstinger, p. 51) posteaque a Sambuco in Emblematibus carmine obdonatum esse. Nota est Utenhovii epistula ad Sambucum Kalendis Novembribus anni 1570 scripta, in qua Utenhovius polygraphum Basileensem Oporinum modo mortuum glorificatione afficit mittitque Sambuco aliquot carmina, quae occasione conubii Utenhovii cum Ursula Floderopiana ab amicis composita sunt (Sambuci et variorum ad eundem Litterae, Wien, ÖNB, 9736, 2 Caps Koll. XXI. fol. 8—10).
9 *Schvendius* — Lazarus Schwendius (1522—1584) praefectus urbis Cassoviae, consiliarius caesaris Maximiliani, in bello contra Ioannem Sigismundum (1565—1566) exercitui Maximiliani dux erat.
10 *ad filium* — Blotius praeceptor Schwendii filii ab anno 1571 usque ad annum 1574 Patavii erat.
12 *Listius* — Ioannes Listhius, (†1577) episcopus Iauriensis, summus cancellarius Hungariae.
13 *Habardius* — ignotus.

XIX.

2 *Ratisponae* — Regensburg.
4—5 *Res Hungaricae ... tranquillae* — pax cum Turcis facta est.
6 *Daciae principem* — Purkircher dicit Stephanum Bathoreum (Báthory) Daciae principem (cf. inferius 15), qui ab anno 1571 princeps Transylvaniae, ab anno autem 1576 usque ad mortem suam (1586) rex Polonorum erat.
8 *Turci ... 4 arces eripuerunt* — Cf. Katona, XXV 531: Mense Iulio anno 1575 per proditionem tres arces ad montanas civitates exstructas Turcae occuparunt, nempe arcem Divén (Dévény, Devín), Blobenstein (Kékkő, Modrý kameň) et Somoskő, ad quas Istvanffy (De rebus Ungaricis, p. 334) addit arcem Hajnácskő (Hajnačka). — *Bekesius* — Caspar Bekes, magnatus Transylvanus, Ioannis Sigismundi apud Maximilianum legatus. Ioanne Sigismundo mortuo Maximiliano adiuvante Bekesius principatum Transylvaniae petebat, sed Stephano Bathoreo principe electo Bekesius primum in arcem Fogaras, deinde ad Maximilianum imperatorem confugit. Maximiliano auctore in Transylvaniam clam revertit et quia plerique nobiles et Siculi se ei adiunxerunt, cum Saxones partibus Bathorei adhaesissent, Bathoreo bellum intulit. In pugna apud Sanctum Paulum 10. Iulii 1575 commissa exercitus Bekesii victus atque fugatus est Bekesiique resistentia fracta est. Postea Stephano Bathoreo rege Polonorum creato Bekesius eum adiit veniam petitum. Qua obtenta usque ad mortem suam exercitui Bathoreo servitia praestabat.
12 *Leopolim* — Lwów, Lemberg.
13—15 *Poloni lenti sunt in eligendo rege* — Sigismundo Augusto mortuo anno 1572 plurimi petitores Polonorum throni erant. — *imperatori nostro* — Maximiliano II. — *Ferdinando fratri* — Ferdinandi I. imperatoris filio, — *alii Moscovitae* — Ioannis Basilii filio. — *alii Ferrariensi* — Alphonso Caretano. — *alii Dacico favent* — Stephano Bathoreo (v. superius 6).

15—16 *Turci ... Suecici causae patrocinantur* — aut Ioanni, Sueciae regi, aut filio eius.

16—17 *Posonii apud nos celebrabuntur comitia* — Idibus Decembribus Posonii comitiis praesidebat Rudolphus (Katona, XXV. 605).

21 *Lingelius* — Michael Lingelius, medicus Viennensis.

## XX.

Philippus Sidneus (Sidney; 1554—1586) poeta celeberrimus, vir omni doctrina, praesertim ratione rei publicae reque militari eruditus. Anno 1573 excessit finibus regni Angliae et adivit Europam centralem. Una cum Huberto Langueto profectus est Viennam, unde advenit in Hungariam, et Posonii habitavit brevi tempore in domo Purkircheri. Postea visitavit Italiam, sed mense Octobri 1574 Viennam revertit, et mense Maio 1575 redivit in patriam suam. Mense Aprili 1576 Sidneus Pragae commoratus est.

9—10 *Bassa Thömös Wariensis* — Hassan, bassa Temesvariensis.

21 *Simoni Forgatio* — Simon Forgatius (Forgách; 1526—1595), vir summo loco natus et valde eruditus, qui capitaneus Agriensis, postea capitaneus regionis Cisdanubiensis erat.

26 *Dadius* — ignotus.

## XXI.

1 *iacta est alea* — cf. Suetonius, Caesar, 32.

2 *Matrem* — Magdalenam Seiberlich, primum Blasio Behem, deinde Christophoro Armprustero nuptam, v. Ep. XXIX. — *fratrem matris* — Paulum Seiberlichum, v. Ep. XXIX.

3 *Volunt elocare puellam* — Catharinam Behem.

5—6 *ad senatum Posoniensem, cui pupilli ... curae sunt* — Nescimus, quando Blasius Behem mortuus sit, sed testamentum, quod in Tabellario Posonii asservatur, scripsit anno 1550.

14 *Nitria* — (Nyitra, Nitra) oppidum in Slovacia meridionali situm.

## XXII.

1 *tuis ad me litteris* — v. Ep. XXI.

5 *matrem puellae* — Magdalenam Seiberlich, v. Ep. XXIX.

15 *Caesar* — Maximilianus II.

17—18 *fratre puellae minore* — Ioanne Armpruster, qui tunc Argentorati studia navabat. — *Argentorato* — Strassbourg.

27 *in fratrem virginis natu maiorem* — Paulum Armprusterum.

39 *et archiducibus Austriae* — Maximiliani filiis fratribusque Rudolphi imperatoris: Ernesto, Matthiae, Maximiliano, Alberto, Venceslao.

41—42 *Non equidem ... mittam* — Sambucus bibliothecae praefecti munere fungi conabatur.

51—52 *Multa ... recepi* — inter patronos praecipuus erat Busbecquius.

64 *Vertice sidera feriam* — Hor. Od. 1. 1. 36.

67 *Philippus Strossa* — Philippus Strozza cum Carolo principe Guisio Maximiliano auxilii ferendi causa anno 1566 ad Iaurinum venit (Istvanffy, De rebus Ungaricis, 291 b).

69 *Comarro* — Comarum (Komárom, Komárno) oppidum ad confluentes Vagi et Danubii situm.

## XXIII.

tit. Carolus Clusius (Charles d'Escluse, 1526—1609) omnium botanicorum saeculi sexti decimi clarissimus fuit. A Maximiliano imperatore Viennam invitatus est, ut hortum caesareum conderet et coleret. Qua occasione oblata herbationes per Austriam, Pannoniam et Moraviam saepe fecit ad floram earum regionum cognoscendam. Maximiliano imperatore anno 1576 mortuo a Rudolpho II., novo imperatore, qui hortum caesareum hippodromo postposuit, exauctoratus est ad diem 31. Augusti anni 1577. Non abiit Vienna, sed a Balthasare Batthyany adiutus aliquot annos in Austria et Hungaria commoratus est.

7 *Ad Camerarium nunc nihil scribo* — ad Ioachimum Camerarium filium.

10 *Nuptiae nostri Hevidelii* — Hevidelius mihi ignotus est.

11 *Galgotium* — Galgóc, Hlohovec, oppidum apud fluvium Vagum situm.

11—12 *Johannes Mairhofer* — sororius Sophiae, Purkircheri uxoris.

13 *Populares tui* — Belgae, qui ab Hispanis victi, tamen cum Hispanis aliquot proelia feliciter commiserunt.

14 *Saepe etiam victis redit in praecordia virtus* — Verg. Aen. 2, 387.

15 *in latronibus istis* — Hispanis.

17 *Habondius* — Abondius, ornamentorum fabricator, sculptor et pictor, anno 1559 Mediolani natus, aulicus Maximiliani imperatoris.

18 *Neustadium* — Wiener Neustadt.

20 *Bathoreum dicunt intumescere* — Stephanus Bathory anno 1576 Polonorum rex creatus est.

## XXIV.

1 *Sat cito, si sat bene* — Disticha Catonis.

4 *Mater habet Viennae consanguineos* — v. Ep. XXIX.

6 *Cornelius Grienwald* — sororius Magdalenae Seiberlich, matris Catharinae Behem.

8 Paulum Seyberlich, v. Ep. XXIX.

12 *Oppidum Sancti Georgii* — circa decem milia passum distat a Posonio.

14—15 *huius matronae et filiorum Armprusteri* — Christophorus Armpruster nupsit Magdalenam Seiberlich, viduam Blasii Behem. Armprustero peperit filios Paulum et Ioannem.

17 *postquam literas a filio Paulo Armprustero accepissem* — Argentorato, ubi filii Armprusteri studia navabant.

27 *Argentinensem* — ad Argentoratum pertinentem.

29—30 *De Johanne revocando* — de Ioanne Armprustero de studiis Argentorati navandis revocando.

32—33 *tanquam Simeon* — v. Marcus, XV 21.

34 *Cornelium* — C. Grienwald.

39 *ut par pari referam* — Hieronymus, Ep. 45,5.

## XXV.

4—5 *aliquo specimine gratitudinis* — vasculo vini.

12 *onerarium Const⟨antinopo⟩lim ... transmissum* — v. Hammer, 450.

14—15 *post mortem nostri imperatoris* — Maximilianus II. mortuus est 12. Octobris anno 1576.

15—16 *Polonus ... in oppugnando Dantisco est occupatus* — cf. Gerstinger, Ep. CVII. 13. et Istvanffy, De rebus Ungaricis, p. 334 sq.

17 *Transsylvania est pacata* — v. Ep. 8, ann. (Bekesius). — *Arx Huzt* — (Huszt). Andreas Bathoreus (Báthory) Isabellae iussu arcem Hustum occupavit (Forgách, 474 sq., Istvanffy, De rebus Ungaricis, 231 sq.). Schvendius eam aggredi proposuit, sed cum videret Ioannem Sigismundum exercitum conscribere, ad Ungvarum recessit (Katona, XXIV). Ioanne Sigismundo mortuo et Stephano Bathoreo Transylvaniae principe electo Bekesius Hustum aliasque arces Bathoreo non reddidit, qua de causa bellum inter eos est ortum (Istvanffy, De rebus Ungaricis, 327).

## XXVI.

8 *in amicitiam Viennensium* — v. Ep. XXIX. — *et apud nos Pauli Seiberlich* — fratris Magdalenae, matris puellae.

11 *Ad Tibiscum* — Tibiscus (Tisza), flumen in Hungaria orientali.

15 *de disserto Bathoreo* — de Stephano Bathoreo, principe Transylvaniae, qui rex Polonorum creatus est.

15—16 *quid attulerit orator* — David Ungnad, qui annis 1574—1578 munere legati Constantinopoli functus est.

## XXVII.

2—3 *Sat cito, si sat bene* — Disticha Catonis.

3—4 *Misi ad ... Clusium ... pecuniolam* — v. App. 29., 2—4.

7—8 *arx Thebana* — (Dévény, Devín), Theben.

9 *Noricis tuis* — Norimbergensibus.

14 *Isagogen expecto* — ad globos. — *a Mercatore* — globorum auctore, v. Ep. XVII. 2. — *Schöneri* — Iohannes Schönerus, mathematicus. Scripsit plures libros, praesertim Opusculum astrologicum anno 1539 Norimbergae editum et librum De usu globi astriferi Antverpiae anno 1548 editum.

17 *ex fodinis Mysnicis* — ex fodinis in spatio oppidi Meissen sitis.

24 *Matheolus* — Petrus Andreas Matthiolus (Mattioli, 1500—1577) clarissimus botanicus et medicus, erat medicus personalis Maximiliani II. imperatoris, et multos libros medico-botanicos scripsit.

33 *Acceperunt a nobis aureum ramum* — de stipendiis et donis Constantinopolim allatis a Maximiliani legatis v. Ep. XXV. 12—13. — *aureum ramum* — cf. Verg. Aen. 6, 137.

35 *Albae Regali* — Székesfehérvár.

38 *Canisae* — Kanizsa, arx in Hungaria meridionali sita.

60 *Iosephus Styzel* — affinis Purkircheri, mihi ignotus.

63 *pestis adhuc serpit* — cf. Ep. XXVI. 11—14.

## XXVIII.

3 *nobilem quendam Austriacum* — nomen familiae legi non potest.

12 *Nova Belgica* — Dux Albae a rege Philippo in Belgium cum exercitu missus Belgarum tumultum opprimebat.

13—14 *Venit ... cursor Const⟨antinopo⟩li* — De pace inter Muradum et Rudolphum anno 1576 facta vide Hammer, 455.

15—16 *contra Persas inquietos* — cf. Sambucus, Epist. CVII (Gerstinger p. 207). — *vidit ...et Agas et Ianizaros* — Aga, dignitas apud Turcas, praefectus. Ianizari, Turcarum pedites.

22 *respublica Norica* — respublica Norimbergica.

## XXIX.

1 *Catharina illa* — v. genealogiam epistulae adiunctam.
1—2 *Blasii Behem* — B. Behem civis Posoniensis primarius, saepe iudex civitatis creatus, cuius testamentum 26. Octobris anni 1550 scriptum in Tabellario Posoniensi asservatur.
3 *Mater* — Magdalena Seiberlich, v. genealogiam.
4 *soror Seiberlichiorum duorum* — genealogiam. — *habitat Tulnae* — Tolna, oppidum in Hungaria centrali situm.
6—7 de Christophoro Armprustero v. Carm. V. 1. ann. tit. — *duo* ... *Armprusteri nati* — Paulus et Ioannes. — *Argentina* — Argentoratum, Strassbourg.
8 *Vidua Zimermanni Viennensis* — v. genealogiam. In eius officina Purkircher librum Pannonia lugens prelo dedit.
11—12 *Vana sunt illa, quae* ... *scribis* — epistula Blotii ad Purkircherum scripta periit.
19 Köpchelium (Köpcsény, Kopčany), vicus prope Bratislavam in dextra Danubii ripa situs.
22 *Tumulos Sambuci* — liber Sambuci, qui Tumuli cum vetustate certantes inscribitur, de quo Sambucus in epistula ad Theodorum Zwingerum scripta (1. Martii anno 1576) mentionem facit, deperditus est neque quidquam de eius argumento notum est.
23 *secretarium Istvanfi* — Nicolaus Istvanffy (1538—1615) poeta et historicus, qui primum officio secretarii archiepiscopi Nicolai Olahi, ab anno 1568 officio secretarii in cancellaria functus est, et anno 1581 propalatinus Hungariae a rege dictus est.

## XXX.

1 *Sidoneum* — Philippus Sidneus (Sidney).
9 *Aicholtzius* — Iohannes Emericus Aicholz (1520—1588), medicus, professor anatomiae universitatis Viennensis erat.
12 *Schintavia* — Sempte, Šintava, vicus ad laevam Vagi ripam haud procul ab oppido Sered situs. — *Iulius comes a Salmis* — Iulius a Salmis (Salm-Neuburg, 1531—1595) aliquot arces in Hungaria superiore habuit inter quas Galgocium. Ioannes Sambucus ei Emblema 88. adscripsit.

## XXXI.

7 *Arnoldi de Villa Nova* — Arnoldus Villanovanus, medicus (1250—1310), studiis Parisiis confectis Hispaniam et Italiam peragravit, postea professor artis medicae Montpellii erat, sed propter heresim expulsus est. Profectus est in Siciliam ad regem Fredericum, apud quem vixit usque ad mortem. Opera eius edita sunt primum Venetiis (1505).
8 *Henrici Wolfii* — ignotus.
